



Hemming
de Methodis
concionandi
Viteb. 1559










No 780 b.





Niels Hemmingsen:
De methodis.
Wittenberg 1559.

SER

MO AC

MO PRI

no, D. Chri

Daniæ, Noru

rum Regi, Du

mariæ & D

burgens

min



nes heroicas

uulgares esse

modum orc

ci conseruar

fieri non

hic mund

sit, nisi sint

SERENISSI-
MO AC ILLVSTRISSI-
MO PRINCIPI AC DOMI-
no, D. Chriſtiano (huius nomini Tertio) Daniæ, Noruegiæ, Sclauorum & Gottorum Regi, Duci Sleſuigæ, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmerſiæ, Comiti Oldenburgenſi & Delmenhorſt: Domino ſuo clementiſſimo.

MAXIMVS OLIM regibus cum ā ueteris Philoſophis, tū à Poëtis ſummis honos eſt habitus. Perſpexerūt enim ſapientiſsimi homines heroicas regiaſqꝫ uirtutes minime uulgares eſſe, ſed diuinitus paucis admodum ordinis Politici & œconomici conſeruandi gratia collatas. Nam fieri non poſſe animaduerterunt, ut hic mundus diu incolumis ſtare poſſit, niſi ſint, qui ſapientia excellentes,

probitate conſpicui, autoritate graues, & rebus gerendis idonei reliquam multitudinem legibus & diſciplina coherceant ac in officio retineant.

Hoc Plato grauiſſimus Philoſophus in multis locis teſtatur. Quemadmodum inquit boues non á bobus, nec capræ à capris reguntur, ſed â præſtantiori genere nimirum ab homine: Sic genus humanum infirmius eſt quam ut ſeipſum regere poſſit. Quare Deus præfecit Rebuſpub: heroas, qui cum habeant ipſi proſperos ſucceſſus nobis quoq; imperia eorum grata & facilia ſunt. Hi ita curant nos ut pacem, pudorem, libertatem, iuſticiam conſeruent. Et alio loco Regem gubernatori nauium confert. Nam ut nauis in turbulento mari iactata nequaquam in portũ incolumis peruenire poteſt ſine gubernatoris arte & induſtria: qui & nauis & nautarum ſalutem unicè ſpectat: ita reſpublica euer-

euertitur prorsus, ubi peritus & amans salutis ciuium magistratus non fert laboranti opem. Iuxta Theognidis sententiam:

φορτηγοὶ δ᾽ ἄρχουσι, κακοὶ δ᾽ ἀγαθῶν καθύπερθεν,
Δειμαίνω μήπως ναῦν κατὰ κῦμα πίῃ.

Hinc esse existimo quòd rectores Rerumpub: generatores, uocabulo à nauibus translato, dicantur. Nec aliud diuinus Homerus sensisse putandus est, qui reges sæpe διοτρεφέας, nonnunquam κοσμήτορας λαῶν, interdum ποιμένας λαῶν, aliquando ἡγήτορας, rursus ἠπίους πατέρας nominat. His enim titulis officia regia exprimere uoluit. Nam reges & principes uiri non nisi diuino motu & heroico res magnas gerunt, salutares Rebuspublicis, politias præclaris legibus ornant, disciplina pascunt, iusticia, clementia ac omnis generis uirtutibus precedunt, & tanquam blandi patres suos ciues & incolas summo complectuntur a-

more, ut qui ſubditorum ſaluti com-modiſq; non ſecus ſeruire ſolent, q̃ ἔυσοργοι parentes ſuorum liberorum curam gerunt. Hinc eſt quod idem Homerus Iouem patrem uocauit. Quod enim patria poteſtas eſt in una familia, id regium eſt imperium in integro regno, Theſeus apud Euripidem rex placidus & bonus breui quidem uerſiculo ſi numerum ſpectes, ſed copioſo admodum ſi quid in ſe breuitas illa contineat, euoluas, uirtutes regias erga ſubditos complexus inquit:

εὐεργέτης βροτοῖσι καὶ μέγας φίλος.

Vere εὐεργέτης qui tanquã Atlas quiſpiam Rempub: quaſi ſuis humeris ſuſtinet, unde merito βασιλέως nomen apud Græcos obtinuit. Hæc tanta cura niſi ex ſummo erga ciues amore proficiſci non poteſt. Nec frangitur animo uſitata ſubditorum ingratitudine, qui uerè regio animo fuerit prę-ditus. Tametſi autem multi reges im-

pro-

probitate mundi & inſidijs Sathanæ decepti ſunt, ac in tyrannos degenerarunt: tamen nequaquam audiendi ſunt, qui uel plurimorum errata parum uerecundè de regio munere diſſerere audent. Fatendum quidem eſt nihil tyrannide triſtius, nihil immanius, nihil nocentius. Nec negandum, proh dolor, teterrima quædam fuiſſe monſtra, quę regium honorem ac dignitatem uſurparunt, in quorum numero fuerunt Phalaris, Dioniſius, Echetus, Tarquinius, Atreus, Et huius generis cõplures δηλήμονες βροτῶν qui omnem humanitatem exuiſſe uidentur. Quid enim inhumanius potuit eſſe quàm quod Atreus fratri Tyeſti proprios liberos commedendos apposuerit? Quid indignius homine quàm quod idem omnem humanitatem, fidem, ſanctitatem à regibus uiris alienam uoluerit? Sed colloquium ipſius cum ſeruo ex Seneca aſſcribam, quo magis ipſius immani-

tas conſpiciatur. ATREVS. Maximum hoc regni bonum eſt, quod facta domini cogitur populus ſui quam ferre tam laudare. SERVVS. Quos cogit metus laudare, eoſdem reddit inimicos metus, at qui fauoris gloriam uerè petit, animo magis quam uoce laudari uolet. ATREVS. Laus uera & humili ſæpe contingit uiro, non niſi potenti falſa, quod uolunt, uelint. SERVVS. Rex uelit honeſta, nemo non eadem uolet. ATREVS. Vbicunq; tantum honeſta dominanti licent, precario regnatur. SERVVS. Vbi non eſt pudor, cura iuris, ſanctitas, pietas, fides, inſtabile regnum eſt. ATREVS. Sanctitas, pietas, fides, priuata bona ſunt, qua iuuat reges eant. Ecce graphicè hic ſub perſona Atrēi imaginem tyranni expreſſit Seneca, & contrā quām rege dignas uirtutes, ſua oratione ſeruus commendauit. Non enim regium eſt facere quod libido ſuadet, ſed quod ratio iuſticiaq; mo-

monet. Quare laudandum est Xeno- phontis dictum: μέτρον δὲ αὐτῷ οὐχ ψυ- χὴ ἀλλὰ ὁ νόμος ἐστί. Ex his non diffi- cile est iudicare, uehementer halluci- nari eos qui propter multorum iniu- stam tyrannidem, in ipsum regium statum, qui Deum autorem habet, conuicia iaciunt. Sed tale ingenium est malignæ naturæ, ut ne ordinatio- ni quidem Dei parcat. At uiri boni ordinisque diuini amantes facile intel- ligunt Philosophorum & Poëtarum encomia de bonis regibus non esse fumos, sed ueritatis testimonia. Quis quæso mortalium satis agnoscere po- test bonitatem Dei erga eas Respub: quib. placidi amantesque suorum re- ges contingunt, quibus cum chara pa tria chari sunt & incolæ: Sed Philo- sophorum & Poëtarum schola sic qui dem de regibus sentit: nunc autem quas uirtutes uerbum Dei requirit in regibus uideamus. Prima itaque sit re- gia uirtus cuius secundus Psalmus

meminit cum inquit: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Oſculamini Filium, ne quando iraſcatur & pereatis in uia. Beati omnes qui confidunt in eo. Hic ſpiritus ſanctus uult reges filio Dei procumbere ad genua, eum oſculari, eiq; cum debito ſeruitio uero q; cultu homagium præſtare. Et quemadmodum pœnas minatur ijs, qui debitum cultum Dei filio exhibere recuſant: ita beatitudinem obſequentibus promittit. Huic ſecunda regia uirtus adijciatur, quam Pſalmus 122. regibus commendat. Lætor inquit ſanctiſsimus rex, cum mihi dicitur, in domum Domini eamus. Hoc regium & dictum & exemplum uult ut reges non ſolum uera pietate alijs antecellant, uerumetiam ut ſummum ſit illorum gaudium, habere Eccleſias benè conſtitutas ac conſentientes in uera religione. Sit tertia uirtus regum,

gum, quam idem Psalmus his uerbis effert: Propter fratres meos & proximos meos loquar tibi pacem, propter domum domini Dei nostri quęram bona tibi. Hic significat Dauid uere regium esse consilijs & facultatibus Ecclesiam iuuare, ac ministerium uerbi promouere. Huc spectat Esaiæ dictum cap. 49. Et erunt reges nutricij tui, & reginæ eorum nutrices tuæ. Hac sententia Esaias non uulgarem fidei professionem requirit à regibus, uerumetiam quoniam potentia rerumque copia ipsis quam alijs tributa est maior uult ut reges Ecclesiam Christi (quam Sathan cum suis belli ducibus Turca & Papista flumine sanguinis delere conatur) tueantur. Vult ut facultatibus suis Ecclesiarum ministros alant, uult ut scholas erigant, bona ingenia foueant, sine quibus uerbi ministerium collabi necesse est. Vtinam reges & principes perpenderent quam augu-

stus

ſtus hic ſit titulus, quo Spiritus ſan-ctus ipſos ornat, dum eos nutricios Eccleſiæ appellat. Quæ nam quæſo gloria maior eſſe poterit? quod augustius nomen à Spiritu ſancto Eccleſiæ nutricium dici? Quid glorioſius regibus mundi, quam quod rex cœlorum Deus illis ſponſam filij ſui unigeniti domini noſtri Ieſu Chriſti nutriendam ac fouendam commiſerit? Hanc quarta comitetur uirtus, quam Ezechias & Ioſias ſanctiſsimi reges ſuo facto regibus commendant, quorum Ezechias ęneum ſerpentem fregit propter cultum idolatricum ipſi à populo exhibitum. Tametſi autem ſerpens ille à Moſe duce populi Dei ex mandato Domini in deſerto erectus fuit, præclarum profecto antiquitatis monumentum memorandũ μνημόσυνον beneficiorum Dei, qui huius aſpectu à dipſadibus percuſſos ſanauit. Inſignis ſanè typus Chriſti, qui in lignum exaltatus languores homi-

num

num ſanaret ac peccata expiaret: tamen ſanctiſsimus rex chariorem habuit populi Dei ſalutem, quam antiquum illud omniq; ſeculo admiratione dignum monumentum. Ioſias ſpurciciem idolorum quibus templum Domini fœde conſpurcatum erat penitus abraſit, emundauit, ſuſtulit. Hinc igitur colligendum quod piorum regum haud minima uirtus ſit pro uiribus amoliri, quidquid uerę religioni obſtaculo eſſe uidetur. Huic uicina eſt quinta regijs uiris digna uirtus, quæ in ſanctiſsimi Ioſiæ regis exemplo conſpicitur. Nam hic non ſolum idola prophanantia templum Dei ſuſtulit, uerum etiam librum doctrinæ cœleſtis diligenter inquiſiuit, inuentum populo Dei ſtudioſe cognoſcendum commendauit. Hoc factum pios reges imitari decet ac curare, ut uerbum Dei in ſuis ditionibus quam liberrimē ac puriſsimē prędicetur.

Adij-

Adijciamus & ſextam uirtutem rege dignißimam Chriſtiano, quam iudiciariam uocare licet. Hæc quatuor cõſtat partibus, ſapientia, timore Dei, ueritate, odio auaritiæ. Sapientia facit ne in iudicando aberret ignorantia recti. Timor Dei perſonarum reſpectum excludit. Veritas legis regulam cum æquitate temperatam ſequitur. Odium auaritiæ, lutum oculis mentis abradit, ut & quod uerum eſt ſine impedimento uideas, & quod uerè uides citra maliciam iudices. Hæc uirtus pio iudici Exod: 18. commendatur.

Hactenus recenſui ueras uirtutes, quas uerbum Domini in regibus requirit, à quibus Philoſophicæ illæ abeſſe nequaquam poſſunt. Imo potius in Chriſtianis principibus ueræ uirtutes fiunt, quæ in Ethnicis uirtutum fallaces tantum umbræ extiterunt. Nulla enim uirtus quantumuis ſpecioſa ſuum nomen ſine timore Dei

clesiæ Christi nutricium declaras. Pro uiribus omnia quæ ueræ religioni aduersari animaduertis, amoliri conaris. Cultum Dei uerum abolita superstitione, quotidie magis, magisq́ instauras. Maior enim res est quàm ut paucis annis ad fixum diuturnumq́ statum deduci possit. In iudicijs quoque sapientiam Principe dignam conjunctam cum timore Dei & ueritate ostendis. Breuiter uerus rex, paterq́ patriæ es, cui nihil antiquius pietate uera, nihil pace iucundius, nihil subditorum salute charius. Vt enim ἔυστοργος pater sua pignora chara: ita ditionum tuarum incolas foues, curas, defendis ac omni beneficiorum genere cumulas, unde fit ὄφρα σὲ μᾶλλον τίωσι ἀρχόμενοι ἠ μὲν νέοι ἠδὲ γέροντες. Hunc R. T. M. animum ornatissimum omni genere uirtutum declarat & aula tua, in qua multi non solum stemmate maiorum, uerumetiam sapientia & uirtute nobiles & il-

lustres uiri sunt. Inter hos suo quodam iure D. Iohannes Frysius genere, sapientia & uirtute clarissimus primũ locum occupat. Hic ut est amantissimus patriæ ac Regiæ tuæ Maiestatis: ita laboribus & uigilijs nequaquam parcit, haud immemor sententiæ Homericæ; οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Hic merito cum Praxithea dicere posset.

ὦ πατρὶς εἴθε πάντες οἳ ναίουσι σὲ
οὕτω φιλοῖεν εἰς ἐγὼ καί γε ῥαδίως.
οἰκοῖμεν ἄν σε κ' οὐδὲν ἂν πάσχοις κακόν.

Præterea sunt & alij non pauci docti & sapientes uiri in R. T. M. aula, quorum singuli sub te tanto duce suam stationem ut in acie fortissimi milites, strenue tuentur. Sed quid multis? Hic dies nos docet quam uerus sit ille uulgo tritus uersiculus:

Regis ad exemplum totus componitur orbis:

Nam T. R. M. exemplo docti & indocti, nobiles & ingnobiles, ciues & rustici, quibus uirtus ac pietas cordi

est,

est, ad maiorem pietatis & honesti amorem extimulantur. Hic uirtutum tuarum iucundissimus chorus serenissime Rex mihi animum fecit, ut hoc meum qualecunque scriptum T.R.M. dedicare sim ausus. Spero enim fore ut pro solita tua regia clementia, qua omnes complecteris etiam hunc qualemcunque laborem, propter utilitatem iuuentutis nostræ scholasticæ susceptum benigna manu serenoque uultu acceptes. Non ignoret T.R.M. dominum laudasse mulierem illam pauperem, quæ exiguum æs quod habuit in gazophylacium misit, Non enim tam rei precium quæ offertur, quam animum offerentis respicit dominus, apud quem effectus rebus precium imponere solet. χαρίτων γὰρ θυμὸς ἄριστος. Hunc summum cœlorum regem te imitari cupio, si de hoc meo scripto & dono quod effero, iudicare uelis, quod te facturum minime diffido. Fateor

dem ipſe libenter quod impolitius ſit quam ut T. R. M. dedicari ſit dignum: Attamen quia minime ignorare poſſum, quomodo R. T. M. affecta ſit erga huius T. Regiæ Academiæ profeſſores, quos omnes quidem amas, ſingulos uero ſingulari beneuolentia proſequeris. Idq; non ſolum quia natura φιλάνθρωπος, uerumetiam quia huius noſtræ Academiæ fundator es & autor. Hac T. R. M. philantropia ac clementia fretus, offero quod habui, ut aliquo ſaltem modo me gratum T. R. M. exhibeam. Ac rogo ut quod ex ſincero affectu proficiſcitur, ſereno uultu accipias. Poſtremo precor cum omnib. pijs Deum, Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut opus quod operatus eſt per te in his regnis ad glorioſum finem perducat, ut te ſuo Sancto ſpiritu impleat, ac in uia pietatis ueræ dirigat, ut maieſtatem tuam quam diutiſſimè in nominis ſui gloriam, ac Ec-

clesiæ Christi ædificationem, incolumem animo & corpore, ac florentem, unâ cum Serenissima Regina nostra, electorum Regnorum Rege Friderico, Duce Magno dominis meis clementissimis, totaq; familia ac regnis conseruet, Amen.

Serenissimæ R.T.M.
deditissimus

Nicolaus Hemmingius
Regiæ Academiæ Haffniensis professor.

PRÆFATIO IN LIBRVM PRIMVM.



VM IN HAC TOta rerum uniuerſitate nihil ſit ordine pulchrius, nihil utilius, nihilq; magis neceſſarium, magna laude exiſtimandi ſunt digni, qui præcepta ordinis in docendo & diſcendo obſeruanda tradiderunt. Nam citra ordinem, ut neminem docere perſpicue, ita neminem fœliciter diſcere, manifeſtum eſt. Hæc duo cum procul dubio omnium humanorum operum præſtantiſſima ſint, magno cum ſtudio ea ſectari decet humanitatis ac honeſti ſtudioſos. Quid enim quæſo homo iſte à bruto differt, qui diſcendi promptitudinem, ac docendi uiam non ſtudioſe quærit, ſectatur, amat? Præſertim cum ideo conditum ſit genus humanum, ut uerum inquirat, pie ac honeſte uiuat: quorum neutrum ſine doctrina & diſciplina fieri poteſt Qualis enim obſecro erit doctrina niſi acceſſerit ordo?

pro-

profecto non dissimilis erit corpori mentis uacuo. Vt enim corpus inutile pondus est nisi mente regatur, Sic doctrinæ nulla uis esse poterit citra ordinis beneficium, & quemadmodum lumen in obscurum locum illatum tenebras pellit, ita ordinis recta obseruatio, difficultatem, quæ alioqui in rebus existeret, tollit. Quapropter cum tanta sit ordinis decus, tanta utilitas, tanta in omnibus rebus necessitas, operæprecium me facturum iudicaui, si ea quæ passim apud optimos autores de ordine seu Methodo legi, in breuem libellum concluderem, ac studiosæ iuuentuti proponerem. Nam Methodica docendi ac discendi ratio hoc citra controuersiam præstat, ut artes & quam celerrime percipiantur, & firmissime retineantur. Ordo enim Methodi initia, progressus & metas monstrat, cui numerus accedit, qui partes numerat, & membra distinguit.

Cæterum cum de methodo sim scripturus, uideo me id commodissime facturum esse, si certam quandam Methodi rationem fuero sequutus, & cum perpendo rem accuratius, inuenio huic nostro proposito aptissimam fore eam Methodum, quam Græci Methodorum præcipui architecti

διαίρεσιν appellant. Quare rem auxiliante Deo (cui ordo in omnibus rebus mirabiliter placet) aggrediar. Sed prius admonitos uolo honestos studiosos, ut non statim ea quę sumus dicturi improbent, aut contemnant, sed prius legant, lecta examinēt, postquam autem sincero iudicio omnia examinauerint, spero facile deprehensuros me studio iuuandi discentes hęc collegisse, ac longe utilissima fore ĳs qui præclarorum uirorum scripta lecturi sunt. Sed ne prolixiora instituantur προλεγομένα, rem Methodo ea quam promisi, aggrediar.

QVID EST METHODVS?

Methodus, est uia docendi certa cum ratione, hoc est, Methodus est ratio docendi, cuius admonitu, & ductu, singula in rerum explicatione aptis accommodatis locis collocantur. Nec aliud uult Græca definitio, μέθοδος ἐστιν ἕξις ὁδοποιητικὴ μετὰ λόγου. *Vt autem rem uniuersam quasi per transennam studiosis contemplandam proponam, breuiter ipsa Methodorum genera, quorum usus est in Philosophia, & de quibus deinceps sum dicturus, subĳciam. Methodus itaq; inuni-*

inuniuersum duplex: Vniuersalis & Particularis.

Vniuersalis est integrarum artium tradendarum uia à Galeno διδασκαλία à suo proprio fine dicta. Hanc uniuersalem Methodum Græci diuidunt in σύνθεσιν, ἀνάλυσιν, & διαίρεσιν, quibus Eustrathius ἀπόδειξιν adiecit, de qua quid sentiendum sit, suo loco dicam.

Particularis Methodus est ministra uniuersalis Methodi, seu organon, seu uia monstrans certam rationem tractandi & explicandi partes seu membra uniuersalis Methodi. Hanc Dialecticam uocant Methodum, quam in simplicem (cui particulares tres subijciuntur, σύνθεσις, ἀνάλυσις, διαίρεσις. Nam propter affinitatem easdem tum uniuersalibus sortiuntur appellationes) & compositam diuidunt. His quoq; generibus subijcitur oratoria Methodus, quam oratores in causarum generibus, ac singulis eorum partibus sequuntur.

DE SYNTHESI VNIVERSALI.

Dixi quid sit Methodus ac Methodorum genera recitaui, nunc singulas eius formas eo quo propositæ sunt ordine explicabo, ac primum de Synthesi dicam.

Est autem Synthesis uniuersalis, Methodus tractandarum artium, per quam naturæ ordinem in

collocatione singularum partium artis alicuius sequimur, hæc latine constructio seu compositio dici potest, quæ quoniam ad naturam proxime accedit, naturalis dicitur, & à nonnullis σύνθεσις appellatur.

Nam ut in rerum naturalium productione, à simplicibus ad ea quæ ex simplicibus extruuntur fit progressus: ita iuxta huius Methodi rationem, à primis quasi elementis artis, ad finem progredimur, estq; arti pingendi haud multum absimilis. Vt enim pictor simulachrum aliquod picturus, primum quasdam grammas ducit, deinde membra format, tum totum corpus simulachri uiuis coloribus depictum absoluit: ita Philosophus qui in arte aliqua tradenda hanc Methodum sequi constituit, paulatim à minimis ad maiora, à simplicibus ad coniuncta, ex priorib. posteriora extruens, progreditur, donec totam, quam sibi tractandam suscepit artem, absoluerit.

Porrò ut res fiat apertior, sciendum est, uocabulum Syntheseos, à quadam Mathematica demonstrationis forma sumptum esse. Quemadmodum enim Mathematica illa Synthesis, à quibusdam confeßis principijs exordiens, paulatim alias atq; alias conclusiones extruit: ita hæc uniuersalis Synthesis à principijs et elementis rerum progreditur, quæ sunt intellectu faciliora et notiora, donec ad finem peruenerit. Sed quia hæc fortaßis

à ru-

à rudioribus non satis intelligi possunt, conabor perspicuis exemplis rem declarare.

Artifex scripturus Grammaticam, cuius finem bene loqui considerans, à literis orditur, quæ orationis prima elementa sunt: Deinde ex literis syllabas componit, ex his dictiones, ex dictionibus orationes extruit, quibus fundamentis iactis, quomodo bene ac emendate loquendum sit (hic enim est finis Grammatices) distincte explicat, atq; hoc pacto naturalem Methodum sequutus absoluit artem. Aristoteles cum finem uideret Dialectices esse inquisitionem ueritatis, quæ disputando seu ratiocinando inquiritur, initium sumpsit à minimis ratiocinationis partibus, quas κατηγορίας appellauit, hoc est prædicamenta. κατηγορίαι enim profitentur doctrinam simplicium uocum, quæ sunt ipsarum ratiocinationum minimæ partes ac elementa. Deinde ultra progressus in libro περὶ ἑρμηνείας coniunxit uoces, et ex ijs propositiones tanquam maiora ratiocinationis membra extruit. Tertio loco in Analyticis prioribus docuit, quomodo propositiones quæ argumentationes ingrediuntur affectatæ esse debeant. Porrò cum uidisset sapientißimus Philosophus tria esse ratiocinationis genera. Vnum quo probabiliter concluditur. Alterum quo necessariò aliquid probatur. Tertium quo fraudulenter Sophistæ utuntur, ad obruendam ueritatem, de his tribus generibus copiose do

cuit,

cuit, & primum eorum quæ posui quia facilius percipi posse uidebatur, commoditatem discentium sequutus, primo loco absoluit, idq; octo Topicorum libris de medio in posterioribus Analyticis, de postremo in libris Elenchorum, quod ideo in extremum locum reiecisse uidetur, quoniam prioribus perceptis, facilius de hoc iudicari potest. Quid quæso hac Methodo Aristotelica clarius esse potest? quid facilius intellectu? An non uel pueris nostris ducibus, hanc Aristotelis Methodum intelligere possumus? Videmus enim pueros qui simul atq; fari per ætatem possunt, primum res singulas suo quasq; nomine appellare, ut pater, mater, panis, potus. Deinde cum paululum ætate progreßi sunt, componere res singulas, hoc est uoces rerum singularum, & eas in propositiones cogere, ut pater est bonus, mater est bona, panis est meus, potus est dulcis: &c.

Cum uero adhuc longius processerunt ætate, incipere argumenta nectere, da panem quia bonus pater es, non te amo me enim uerberas &c. Porrò ubi adhuc maior ætas accesserit, natura duce alios certius uera concludere, alios probabiliora animaduertere, & falso collecta dijudicare & discernere, quæ profecto omnia sunt diuinæ illius artis Dialecticæ semina, in qua tractanda Aristoteles eundem ordinem, quem natura monstrauit sequutus est. Quemadmodum & in Physicis hunc

ipſum autorem feciſſe manifeſtum eſt. In his enim primum de principijs & elementis rerum naturalium, & de communibus eorum affectionibus deq; ijs quæ his annexa ſunt diſputationem inſtituit. Deinde de corporibus ſimplicibus, Poſtea de mixtis, de generatione, corruptione &c. quemadmodum fere in ſerie prædicamenti ſubſtantiæ propoſita ſunt. Idem Ariſtoteles in libro politicorum 4 Exemplum à minutiſsimis partibus orditur, ex ijſq; progrediendo totum quaſi componit, familiam enim primam hominum ſocietatem, et primam Reipub: partem in principio poſuit, eiuſq; partes, ut uirum et uxorem, patrem & liberos, dominum & ſeruum, Deinde uicinam domum conſiderat. Poſtremo Rempub: extruit. Hac quoq; Methodo uſus eſt 5 Euclides, cum à puncto ad lineam, ab hac ad figuras ſimplices, ab his ad coniunctas alias atq; alias demonſtrandas progreditur. Sunt & illa ſcripta ad Syntheſin referenda, in quibus ſeries temporum & rerum à principio ad finem continuatur, quemadmodum Longobardus in ſuis locis Theologicis fecit. Hic enim primum de Deo, deinde de diſtinctione perſonarum & annexis proprietatibus, Poſtea de creatione & eius partibus, tum de lapſu primorum parentum, de peccato ſequuto parentum lapſum, et imbecillitate, Poſthæc de gratia exhibita per Chriſtum, atq; ita deinceps naturali ordine membra potiſsima ſacræ ſcripturæ

pro-





prosequitur, donec ad locum de extremo iudicio, de gloria piorum & pœna impiorum perueniat.

Methodus hæc Longobardi uniuersalis, est optima, tametsi in membrorum explicatione sæpissime iniuria temporis, in quod incidit, hallucinatur. Hæc exempla satis ostendũt qualisnam sit Methodus Synthetica uniuersalis. Verum hoc in uniuersum de omnibus generibus Methodorum tenendum est, quod interdum magni autores, propter certam aliquam commoditatem, ordinem Methodi susceptæ in medio cursu nonnihil uarient. Atq; hæc sint dicta de Synthesi Vniuersali.

DE ANALYSI VNIVERSALI.

Analysis uniuersalis, est Methodus Synthesi contraria, ut enim per Synthesin à partibus ad rei absolutionem et finem progredimur, ita contrario modo à fine, seu toto, ad ea quæ ad finem seu totum spectant fit progreßio ad Analysin, quam Eustrathius hoc pacto definit: Analysis est uia procedens à compositis ad simplicia, ex quibus illa composita sunt, tanquam ex ordine dispositis principijs, siue elementis, hoc est Analysis uniuersalis, est cum in artibus uel à fine, ad ea quæ ad finem spectant, uel à toto ad partes, primum maximas, deinde minores & minimas, uel etiam ab indiuiduis infimisq; speciebus, ad summa genera ordine fit pro-

progreßio. Vocabulum ἀναλύσεως sumptum est à Mathematica demonstratione, quam illi ἀνάλυσιν uocant, & à Philopono his uerbis definitur.

Analysis est ex posterioribus recursus ad principia & causas, ex quibus quæ effecta sunt constitutionem habent, hoc est, Analysis est ascensus à fine ad principium, cuius principium conclusio illa est, quæ fuerat finis in Synthesi, & addit Philoponus Metaphoram sumptam à peregrinantibus, qui cum ad propria redeunt ἀναλύειν dicuntur. De hac Mathematica Analysi dicam in particularibus Methodis, eò enim proprie pertinet. Nunc autem uniuersalis Analysis exemplis illustranda est. Sex illi præclari libri Galeni, quibus titulum fecit περὶ ὑγιεινῶν, pulcherrimum huius Methodi exemplum continent. Postquam enim scopum seu finem istorum librorum, de bona ualetudine conseruanda in principio proposuisset, & definiuisset, in sex illis libris ea omnia, quæ ad propositum finem, id est ad sanitatem tuendam, pertinere uidebantur attexuit. Aristoteles in prioribus Analyticis docturus artem Syllogisticam, hanc Methodum sequutus est. Resoluit enim syllogismos in principia, unde extructi erant, quorum alia sunt materialia ut sunt propositiones & termini, alia sunt formalia ut figuræ & modi, alia canonica, quæ græci uocant κάνονας τεχνικούς. Vel ut eadem clarius adhuc dicam, Aristoteles finem in his

libris proposuit sibi syllogismum, quem primum in propositiones partes proximas, deinde in terminos tanquam prima elementa retexuit, Atq; hæc resolutio quia materiam tantum attingit, postea addit formalem resolutionem, quomodo nimirum omnes syllogismi ad tres figuras omnino reuocari debeant, Postremum multa præcepta colligit, quibus uiciosas ratiocinationes cognoscendas docet, & sapientißime quid obseruandum sit in quauis argumentatione monstrat, quæ omnia hac Methodo fieri manifestum est, tametsi non satis ab exercitatis hæc obseruari possunt, præsertim cum prolixius de singularum partium affectionibus & proprietatibus disputet.

Doctrima seu ars demonstrandi Aristotelis hac quoq; Methodo (quod etiam titulus indicat) scripta est. Primum enim proponit sibi finem istius artis nimirum demonstrationem, postea ordine adiungit omnia, quæ ad eum pertinent finem, hoc est ipsam demonstrationem primum retexit et resoluit in propositiones & principia, ubi necessario multis uerbis propositionum distinctio tractanda erat, ex qua distinctione nascebatur demonstrationis quædam partitio, unde uia medium demonstrationis inquirendi sese aperuit. Et quia non tantum materia requiritur ad demonstrationem, uerumetiam forma, disputatum est etiam ab acutissimo Philosopho de figuris demonstrationis, atq;

ita artem demonſtrandi, quam ſuſceperat tradendam, abſoluit.

Philippus Melanthon præceptor meus chariſſimus, redacturus in artis formam doctrinam religionis, ſcopum & finem ſibi propoſuit, nimirum quod homo ſit conditus ut Deum celebret, quod cum feciſſet omnia ordine ſubiecit, quæ ad eum finem pertinere uidebantur. Et quia prudenter animaduertit pios dum in hoc mundo peregrinari debeant, uerſari primum in regno Dei ſpirituali, deinde in regno politico, Tertio in uiſibili cœtu eorum qui profitentur religionem, & in hoc triplici cœtu Deum celebrare debere, ſapientiſsime ſuos locos in tres claſſes digeßit, in quarum prima omnia illa ordine collegit, quæ ad propoſitum finem in ſpirituali Chriſti regno faciunt, atq; hæc decem & nouem locis, quos memini ipſum appellare πνευματικοὺς, abſoluit. Deinde in ſecunda claſſe de politico regno docet, & hos locos appellare ſolet πολιτικοὺς. Poſtremæ claßis locos cum Paulo παραδόσεις nominat. Atq; ita propoſito fine in principio libri, collegit artificioſe aptißimo ordine ea omnia quæ ad finem referenda eſſe uidebantur. Hancq; Methodum idem autor in Epitome Philoſophiæ Moralis ſequutus eſt. Porrò ut rem clariorem reddam, collationem ſuperioris & huius Methodi adiungam. Si quis artem ſcribendorum uerſuum tradendam ſuſceperit iuxta Syn-

thesin, primum Syllabarum (ut minimarum partium) excuteret naturam & quantitatem, Deinde pedes, ut uocant, componeret. Ad extremum ex pedibus uersus faceret, sed secundum Analysin ab ultimo horum inciperet, & retexeret uersum in pedes, & varias pedum formas, pedes in syllabas, syllabas in breues & longas & ancipites, donec ad minima huius artis elementa perueniret.

DE DIAERESI VNIVERSALI.

Diæresis Vniuersalis, est Methodus, quæ primum definitione id, de quo doctrina instituta est, declarat, deinde illud ipsum diuidit in proximas species, rursumq; specierum inquirit inferiores species, quoad diuidi poßit id quod propositum erat. Methodus hæc Platonica à Platone, qui ea mirifice delectatus est, appellatur, quam Cicero in Philosophicis fere omnibus, & Rhetoricis sequitur, cuius exempla subijciam, Vbi primum unde hæc Methodus sumpta sit, & quomodo ab Analysi, cui ualde similis uidetur differat, explicauero. Vocabulum sumptum est à Platonica quadam demonstrandi forma, qua Platonici conabantur definitionum partes colligere, ac collectas definitiones demonstrare. Proponamus exempli gratia hominem definiendum, cuius definitionem hoc pacto

κτ] διαίρεσιν colligere, Homo aut animal est aut inanimatum. Atqui inanimatum non est, ergo animal erit.

Et rursus homo animal est, omne autem animal aut gradi potest, aut est uolatile, aut aquaticum. Ergo cum homo neq; sit uolatilis, neq; aquaticus, gradi potest. Et rursus homo est animal. Omne autem animal aut est multipes, aut quadrupes, aut bipes, Sed homo nec multipes, nec quadrupes. Ergo bipes. Et rursus homo est animal, Omne autem animal aut est plumosum, aut implume, Sed homo non est plumosus, Ergo est implumis. Et rursus homo est animal. Omne autem animal aut est capax scientiæ, aut ἄλογον. Sed homo non est ἄλογος. Ergo est capax scientiæ.

Postquam in hunc modum diuisione multiplici, inquisiuissent multas differentias collegerunt omnes simul, concludentes hoc pacto: Ergo homo est animal quod gradi potest, bipes, implume, capax scientiæ. Hæc uia tametsi ueram artem definiendi monstrat, quemadmodum postea in particulari definitionis Methodo sum dicturus: Tamen Aristoteles eam in altero Analyticorum posteriorum libro, à demonstrandi scientia reijcit, eo quod in demonstratione conclusionem adeo necessariam esse & certam necesse sit, ut nemini ultra relinquatur interrogandi locus, id quod in Platonica Diæresi non fit. Sed de origine huius Metho-

di satis, nunc paucis discrimen inter hanc & Analysin ostendam. Quidam prorsus idem uoluerunt esse Diæresin & Analysin. Alij ne Galeno notam uiderētur inurere, qui has distinxit Analysin Vniuersalem, hanc particularem fecerunt, quos ipse Galenus confutat ἐν μικροτέχνῃ quam Diæresi Vniuersali conscripsit, ubi diserte confirmat tertium genus τῶν διδασκαλίων esse Diæresin, quā interdum τὴν ἐξ ὅρου διάλυσιν uocat, quæ appellatio tametsi utcunq; ostendit discrimen inter hanc & Analysin, tamen breuiter illud ipsum explicabo. Analysis (ut supra dictum est) progreditur à finis notione, retexendo omnia quæ ad finem istum facere uidentur. Diæresis uero non à fine, sed à definitione, cuius genus & singulas differentias soluit per definitiones & diuisiones omnium formarum, quæ sub re definita comprehenduntur. Deinde Analysis nihil per se definit. Hæc autem diuisione non contenta, singula definitione declarat, à quo suo officio interdum ὁριστική appellatur. Hinc perspicuum esse existimo, discrimen non paruum esse inter has duas Vniuersales Methodos. Sed tamen habent aliquid commune: Nam quemadmodum Analysis quærit quæ ad finem spectant, seruato ordine & maiorum & minorum partium, ita Diæresis ea quæ ad definitionem pertinent, per diuisionem superiorum & inferiorum formarum, siue specierum quærit, donec quidquid

fuit in definitione produxerit, ipsumq; definitionibus & diuisionibus explicauerit.

His ergo ita constitutis, exempla ut in superioribus Methodis fecimus, subijciamus. Cicero hac Methodo multa scripsit, inter quæ primum occurrunt tres illi præclari de officio libri, in quibus omnium primum officium (quod hæc Methodus peculiariter requirit) definit, definitum diuidit in id quod pertinet ad finem bonorum, quod Philosophi Theoricum uocant, & in id quod in præceptis positum est, quodq; in praxi consistit, sed illo seculo ut nihil ad rem pertinente, hoc docendum sibi proponit, quod postquam in καθῆκον hoc est medium, & κατόρθωμα hoc est perfectum diuisit, & singulas formas definitione complexus est. Sed quia Stoicum illud κατόρθωμα rigidius uidebatur atque extra humanas uires positum, exclusum est, ut parum susceptæ disputationi accõmodum. Medium autem officium (quod definiuit esse, cuius cum factum sit ratio probabilis reddi poßit) diuisit in honestum & utile, quorum collationem, ut infra dicam, apposuit. Nam prius honesti partes prosequutus est, quod in prudentiam, iusticiam, fortitudinem, modestiamq; diuisit, singulasq; definitionibus explicauit, additis officijs quæ à singulis harum formarum fluere uidebantur, idq; eodem quem proposuit ordine, et ut magis hæc conspicerentur, uitia, quæ cum his pugnare uideban-

tur (in omni enim Methodo Antithefeon collatio neceſſaria eſt) adiecit. Sub hæc officium, ſumptis differentijs à ſtatuum uarietate, Politicum, Militare & œconomicum proſequitur, nec omittit ætatum differentias & officia, addens officiorum rationes & diſcrimina. Porrò cum ita honeſti partes explicauiſſet, plura honeſta inter ſeſe contulit: Animaduertit enim pluribus propoſitis honeſtis, haud raro ambigi quodnam ſit eligendum, Deinde abſoluto primo officij genere, tranſit ad aliud quod utile uocauit, de quo in ſecundo libro diſputat, deq; eius uarijs formis et officijs, quæ inde naſcuntur pertractat, quorum quoq; comparationem adijcit, Sæpe enim dubitari ſolet pluribus utilibus propoſitis, quodnam ſit alteri præferendum, Tandem honeſtum & utile confert, & præcepta colligit per quæ honeſta cognoſcuntur, & ordine monſtrat quod nihil quod cum ulla honeſtatis parte pugnat habendum ſit utile, idq; facit copioſa exemplorum ſylua illuſtrationis gratia adhibita atq; ita iuxta huius Methodi normam Cicero omnia officiorum genera eruditiſsime explicat. Hanc Methodum qui obſeruauerit in illo Ciceronis opere, & facilius authoris mentem intelliget, & res quæ ibi traduntur firmius memoria tenebit. Hanc quoq; Methodum idem author in partitionibus oratorijs ſequitur. Ibi enim primum diuidit totam illam doctrinam in uim oratoris

toris, in orationem & quæstionem quæ tria exponendo, definiendo & diuidendo persequitur usq; ad finem operis. Huc etiam referto libros de finibus bonorum & malorum. Item de natura deorum, de diuinatione, & Philosophicos fere huius autoris omnes.

Eustrathius his tribus Methodis Galeni adiecit quartam, nimirum ἀπόδειξιν, quæ quia particularis est & non spectatur in toto opere, sed in partibus, non debebat uniuersalibus Methodis ut noua forma addi, sed ad particulares Methodos ab Eustrathio potius fuisset referenda, de quibus sum dicturus, ubi primum quædam quæ admonitu necessaria uidentur de uniuersalib. Methodis adiecero. Ne quid igitur in quærēda Methodo alicuius operis erretur, hæc obseruanda & firmiter tenenda sunt. Primum ne quis ex parte aliqua operis, de toto iudicet, hoc est ne Methodum constituat eam quam primi uersus alicuius libri præ se ferre uidentur. Vt si quis in principio libri alicuius de Grammatica scripti, deprehenderit Grammaticam esse artem emendate loquendi, uel finem eius esse ut sensa mentis congrua oratione exprimamus, non statim pronunciandum est eam artem uel Diæresi, uel Analysi scriptam esse, sed tota series spectanda est, et ex ordine totius scripti Methodo nomen retribuendum est. Philippus in principio Erotematum Dialecticorum definit Dialecticam,

monet de eius fine & usu, non ideo totus liber uel Diæresi uel Analysi scriptus est, sed Synthesi si operis seriem spectas.

Deinde obseruandum & hoc est, de quo in Synthesi admonui, autores magnos certam ob causam transferre aliquãdo Methodorum legitimum ordinem id quod nõ faciunt Methodi ignorantia, sed magno consilio. Vident enim interdum quædam quæ posteriori loco ponenda essent, commodius & utilius tradi posse si proponantur, ut in præceptoris nostri Dialectica iuxta Synthesis naturam quam Philippus ibi sequitur, inuentioni uocum & propositioni addenda fuisset statim argumentorum inuentio, hoc est, τοπική, sed uoluit hic captui iuuentutis sese accommodare, quare absoluta uocum & propositionum doctrina, de formis argumentationum præcepta adiecit idq; hoc consilio ut postea ex Topica, inuenta argumenta, statim suis formis alligarent studiosi, ac de inuentis continuo iudicare possent, nec ullo implicarentur errore, quod sane promptißimum fuisset, si normæ iudicandarum consequentiarum non antea fuissent traditæ.

Tertio loco obseruandum est quænam harum trium Methodorum sit præstantißima. Nam alij aliam præferunt, Sunt qui Synthesin ideo alijs anteponunt, cum quia magis ad naturam accedere uidetur, tum quod artes primum Synthesi uiden-

tur inuentæ. Quam sanæ Methodum Aristoteles non solum in inueniendis, sed etiam in tradendis artibus ut plurimum est sequutus, Alij Analysin et Diæresin præferunt Synthesi,eo quod ingenijs hominum aptius esse iudicant, rem uniuersam & quasi compositam primum ponere, & postea uel Analysi uel Diæresi eandem retexere, donec ad principia & fontes ipsos discentes deduxerint. Tametsi autem hæc improbare non poßum,tamen hoc uidetur mihi adijciendum,quod ex conditione et natura materiæ propositæ,de qua docendi sunt homines, petendum sit consilium. Nam aliæ res alio Methodi genere facilius et traduntur et percipiuntur. Si quis enim Analysi uti uellet in Grammatica aut Dialectica tradenda, iudicarem illum operam et oleum perditurum.Nam ea Methodus in ijs artibus discentibus nequaquam est commoda,cum contra Synthesis sit commodißima, quam omnes ut ego existimo sequuti sunt, qui has artes tradiderunt. Contra uero Rhetoricæ tradendæ commodior est Diæresis.Quapropter aliam Methodum in alijs rebus tractandis & aptiorem ita quoq; digniorem esse statuo, tametsi de dignitate fortaßis disputare non uidetur operæprecium. Nemo enim dubitare debet, quin has uias rerum tradendarum hominibus monstrauerit Deus, ut religio & aliæ res bonæ ab hominib. doceri aptius & percipi rectius possent. Nec audiendum esse indi-

eo Ramum uirum alioqui doctum & bonum qui unam tantum uniuersalem Methodum agnoscit, nimirum Platonicam, pugnat enim non solum cum Aristotele quem ipse contemnit, uerumetiam cum natura & experientia. Tam præclara igitur organa tradendarum rerum optimarum religionis & artium non sunt propter ullius hominis sugillationem contemnenda. Postremo loco hoc quoq; admonendum uidetur, quod nulla Vniuersalis Methodus poßit suo munere perfungi nisi particularibus Methodis iuuetur, de quibus (quia hactenus satis mihi de Vniuersalibus Methodis dixisse uideor) nunc dicendum est.


DE PARTICVLARIBVS METHODIS.

Methodus particularis est ratio monstrans rectam uiam explicandi quæstiones de qualibet re propositas. Quapropter huius Methodi uarietas petenda est ex quæstionum uarietate. Cum itaq; quæstiones sint uel simplices, ut cum singulæ res tractandæ proponuntur, uel Compositæ, cum propositiones in controuersiam incidunt, duplex erit Methodus particularis, Simplex nimirum et Composita. Illa est singularum uocum, cum uidelicet uoces uera ratione explicantur, Hæc qua propositio aliqua ratione uera concluditur, siue id fiat necessitate consequutionis tantum siue rei & consequutionis

tionis simul. Hinc facile intelligi existimo uulgatam Methodi diuisionem, qua diuidunt Methodum in definitiuam, diuisiuam, resolutoriam & demonstratiuam esse huius classis, hoc est pertinere ad particularem Methodum, quam ideo Dialecticam uocant, quia tota ars disserendi uersatur in his quatuor tractandis & explicandis. Hæc dixi, ut ostenderem quomodo uulgata Methodi diuisio cū ea quam supra tradidi quadret. Porrò hæc duplex Methodus Dialectica plures sectiones recipit, Nam simplex quidem in σύνθεσιν διαίρεσιν ἀνάλυσιν particulares et mixtam diuiditur. Composita uero etiam habet uarias formas. Alia enim probabilis, alia Sophistica, alia demonstratiua à quæstione subiecta dicitur, quarum postea uarij sunt rami. Nam quælibet harum spectatur uel in disputatione, cum plures de aliqua quæstione litigant, uel in collatione cum ipsi de rebus sine aduersario scribimus quidquam serio, siue declamamus ingenij excolendi gratia, uel in examine eorum quæ ab alijs scripta sunt, nimirum cum ea quæ uel uberiori oratione exposita sunt reteximus & detractatis ornamenta nuda proponimus, ad dialecticam normam singula reuocantes, ut eo accuratius de negocio proposito iudicium formetur sine quo examine uberior oratio nequaquam intelligi potest, neq; quidq̃ horum intellectum uolo de oratoria Methodo, de qua seorsum quemad-

modum





modum antea proposui sum dicturus, nunc ideo paucioribus de Dialectica Methodo dicam, quia ars Dialectica hanc solam profitetur, hanc docet, ad hanc omnia sua præcepta fere refert.

DE SIMPLICI METHODO Dialectica ac primum de Synthesi particulari.

Synthesis particularis est duplex διηγητική, quæ rei simplicis elementa colligit, partes componit, antecedentia coniuncta & consequentia ponderat, finem usumq; rei commonstrat, Breuiter quæ occupatur in circumstantiarum rei consideratione, & ὁριστική, quæ est certa uia res singulas definitione complectendi, & uocatur usitate Methodus definiendi. Huius uarias formas, quia in Dialecticis traduntur omittam, et breuiter paucis & generatim definiendi Methodum exponam, quam his uerbis Cicero in Topicis tradidit. Sic igitur inquit Veteres præcipiunt: Cum sumpseris ea quæ sunt rei quam definire uelis, cum alijs communia usq; eo persequi, dum proprium efficiatur, q nullam in aliam rem transferri poßit, ut hæc: hæreditas est pecunia. Commune adhuc. Multa enim genera sunt pecuniæ, adde quod sequitur: quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. Nondum est definitio, Multis enim modis sine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ possunt. Vnum

adde

adde uerbum: Iure. Iam à communitate res disiuncta uidebitur, ut sit explicata definitio, Hæreditas est pecunia quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure, nondum est satis, adde nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. Confectum est. Hactenus Cicero, addamus & nos unum atq; alterum exemplum. Tyrannis est imperium. Commune adhuc, Multa enim genera sunt imperiorum addamus ergo: quod unus administrat, non est satis, adde publicum, ne id quidem satis est, Adde ergo: Cum respub. non ex legibus, sed arbitrio dominantis gubernatur. His nihil fortaßis addi potest, Completa est itaq; definitio. Tyrannis est imperium publicum quod unus administrat, non ex legibus sed arbitrio: Temperantia est uirtus, hoc latißime patet. Adde Moralis, differentia est adhuc generica non sufficiens ad definiendam speciem. Adde quæ moderatur cupiditates. Iam res à communitate disiuncta est, sed adde finem ut sit plenior definitio, ne quid contra rectam rationem fiat, Coniungamus iam omnia: Temperantia est uirtus moralis, quæ moderatur cupiditates, ne quid contra rectam rationem fiat. Qua autem ratione illa communia sunt quærenda, in Dialectica explicatur, nimirum ut primum rei definiendæ prædicamentum quæratur. Deinde ut inuentum prædicamentum in genera media tantisper distribuatur, donec proximum eius rei, quam definire uolumus,





genus

genus inuentum fuerit. Tum inuentum genus in differentias secabitur, donec eam rem quæ proposita est, à reliquis eiusdem generis speciebus, certa & propria differentia distinxerimus. Sed si certæ differentiæ inueniri non possunt, quærantur subsidia à causis, effectis, proprietatibus et alijs rerum attributis, donec quocunq; modo rem propositam certis limitibus definiuerimus. Atq; hæc est Aristotelis in Secundo posteriorum, Ciceronis in Topicis, Boetij in libro de definiēdi Methodo doctrina.

Cæterum hoc loco admonendum duxi, id quod Rodolphus docet in loco coniugatorum, quem locum multum facere ad definiendum ostendit. Proposito enim abstracto definiendo, facilius definitionem inuenies, si concreti affectiones peruideas. Nam hanc uiam sæpe Aristoteles sequutus est, ut in Æthicis definiturus prudentiam, primum personam prudentis ex ea consideratione definiuit, Sed Aristotelis uerba, quo res fiat clarior subijciamus. Prudentia inquit quid sit ita intelligemus, si quos nominemus prudentes cognouerimus. Prudentes quidem uidentur ex eo esse, quod rectum consilium in ijs capere poßint, quæ sua sunt quæq; non aliqua ex parte, ut quæ ad ualetudinem, aut uires pertinent, quod ex eo intelligi potest quia prudentes in re aliqua dicimus, cum ad honestum finem recte ea dirigunt, quæ arte non possunt effici. Quocirca ualeat prudens omnis consilio ne-

cesse

cesse est. Et quoniam consilium uemo in iis rebus capit, quæ aliter euenire non possunt, neq; ab ipso nequeunt effici & præstari. Quoniamq; scientia omnis demonstratione concluditur. Demonstratio autem ad ea nulla adhibetur, quorum principia secus euenire possunt (ea enim omnia euenire aliter queunt, quæ autem necessario eueniunt non cadunt in deliberationem) efficitur ut nec scientia, nec ars, prudentia dici poßit. Scientia esse non quidem potest, quia quod subiectum est sub actionem aliter euenire potest. Nec ars quia alius actioni, alius affectioni artis finis est propositus, Relinquitur ergo ut prudentia sit habitus uera ratione ad ea agenda idoneus, quæ uitæ hominum conducunt uel obsunt. Hoc Aristotelis exemplum euidenter docet præceptum Rodolphi esse utilißimum, quod Philosophi & Theologi sequi solent.

Addamus & nostrum exemplum, Si pietatem definire uelis, promptißimum fuerit, ubi excusseris quos nam nominemus pios. Pij autem nominantur, qui sine Hypocrisi Deo, parentibus, patriæ & ciuibus debitam reuerentiam et cultum præstent. Hinc relinquitur pietatem esse studium cum summa reuerentia colendi Deum, patriam, parentes & ciues. Obseruandum & hoc est, quod Boetius faciendum in definiendo præcipit, quod Platonica Methodo particulari Diæresi, id est, diuisione tanquam planißima & certißima uia inquirantur

defini-

definitionum membra, donec rem à communitate distinxerimus, tam diu inquit debemus interponere species & differentias, quam diu seclusis omnibus quæ hoc idem esse possunt eo deueniatur, ut proprietas iam certa teneatur. M. Tullius in Topicis ius ciuile uoluit definire, & ut oportuit cœpit à genere. Dixit enim in principio Ius ciuile est æquitas. Hoc genus est. Sed quoniam alia est æquitas constituta, aliæ naturalis, & Ius ciuile non est naturalis æquitas Ergo constituta. Verum quia æquitas constituta alia est Gentium, alia certæ ciuitatis, & ius ciuile non est æquitas constituta Gentium. Ergo certæ ciuitatis. Relinquitur ergo quod ius ciuile sit æquitas constituta eorum qui sunt eiusdem ciuitatis. Quædam Boetij uerba mutaui, ut studiosi facilius Platonicam Methodum agnoscerent, de qua supra dixi in Diæresi Vniuersali. Sūt alij qui prædicabilium ordinem instrumentum Methodi definiendi constituunt, de qua re Boetius ita inquit. Quidam cautiores plenioresq; in docendo, definitionis ipsius quasi quædam membra constituunt, dicuntq; perfectam & plenam definitionem ex his quinq; partibus, genere, specie, differentia, proprio & accidente consistere, Sed accidens in definitione minimum, proprium plurimum ualet. Exempla uide in Dialecticis Philippi, & paßim apud autores occurrunt plurima.

Porrò huc adijciendum quoq; duxi præceptum

Boetij, de ordine explicandi eam definitionem quã statuimus. Omnis definitio, inquit, his membris partibusq; tenetur. Primum uti breuiter id, de quo quæritur quid sit, oratio nostra contineat. Deinde eius definitionis supponatur approbatio, qua illud ostendimus, ut idipsum quod breuiter in definitione posuimus, id ita esse argumentorum rationibus approbemus. Deinde tertio loco inducimus deductionem eiusdem definitionis in eam speciem de qua quæstio est, & de qua iudicium est constitutum, ut cum generaliter rem definiuerimus, & ita esse de quo queritur, dixerimus fuerum esse quod definimus, Tertio loco ostenderimus hoc esse quod gestum est, uel id esse de quo quæritur, quæ orationis pars appellatur deductio generis in speciem. Quarto loco in oratione nostra ponemus destructionem definitionis aduersæ partis, hoc est, uti quemadmodum aduersarij definiuerint idipsum de quo supra definitionem constituimus apponamus, eamq; uitiosam esse doceamus. Hæc ratio tractandæ inuentæ per Methodum definitionis non solum oratoribus, uerumetiam Dialecticis & Philosophis est communis, nisi quod Philosophi ut plurimum aliorum definitiones prius confutant, et postea collectis membris suas statuunt, mox applicant genera ad species & confirmant. Hanc Methodum plurimum iuuare orationis copiam animaduerti, quare eam cõmemorandam esse duxi.

DE DIAERESI PARTICVLARI.

Tametsi hæc Methodus ex ijs quæ dicta sunt in superiori Methodo facile intelligi potest, tamen quia eius laudes & utilitates hoc merentur, breuiter de ipsa dicam. Plato enim adeo miratur hanc Methodum, ut dicat se tanquam Deum sequuturum eum esse, quem nouerit diuidendi peritum, atq; id non iniuria. Nam diuidendi Methodus cum ad rei quæ diuiditur naturam demonstrandam, tum ad definiendum & argumentandum plurimum utilis est, sed præconijs omißis, rem ipsam aggrediamur.

Est itaq; diuidendi Methodus, quæ et particularis Diæresis quædam existit & appellatur, certa uia, res singulas diuisione, quasi anatomia quadam in partes seu membra retexendi Sub hac diuisione complector enumerationem, partitionem, & eam quam Cicero, contracto uocabulo diuisionem appellauit. Nam uis nominis & amplitudo hoc non recusat, quemadmodum Boetius & post hunc Philippus testantur, nihil pseudo Ciceronianos morantes, qui nullum uerbum ferre possunt, quod ipsi apud Ciceronem non legerunt. Vt autem Methodus hæc eò facilius percipiatur, primum diuisionum formas recitabo. Deinde regulas quasdam huic rei deseruientes adijciam. Tertio loco ratio-

rationem ac uiam in singulis differentijs & speciebus inquirendis subijciam. Quarto loco ordinem tractandi diuisionum membra inuenta docebo. Diuidendi itaq; genera duo sunt prius ac nobilius naturale ac per se dicitur, Posterius fortuitum seu per accidens nominatur.



Naturale diuidendi genus est, cum diuisio per ea fit quæ naturam rei attingunt, id est per differentias & species, Atq; in tres formas diuiditur, quarum prima est generis in species siue in differentias distributio, Hæc alijs dignior est. Alia quam Cicero quidem partitionem, Themistius uero ἀνατομὴν uocat. Tertia est non quidem prioribus dignitate par, sed tamen in seriarum rerum tractatione haud raro adhibenda. Hæc enumeratio appellatur, & fit quoties uocis alicuius multa amplitudine significationis suæ complectentis significata enumerantur. Posterius diuidendi genus id eo uocatur per accidens, quia fit per ea quæ naturam rei non attingunt, sed ut fortuita quædam incumbunt, Estq; huius generis triplex forma. Prima est subiecti in accidentia diuisio, ut cum dicimus, omnium hominum alij sunt nigri, alij candidi, alij medij coloris. Secunda est accidentis in subiecta sectio, qualis hæc est. Omnia quæ expetuntur alia in anima, alia in corporibus sita sunt.



Postrema est accidentis in accidentia diuisio, ut omnium candidorum alia sunt dura ut Margarita,

alia sunt liquentia, ut Lac. Atq; hæc sunt genera ac formæ diuisionum, nunc regulas subijciam.

Secundo :—

Prima.

Oportet omnem diuisionem in duas ad minimum uel in plures, si necesse fuerit, partes fieri.

Secunda.

Omnis legitima generis diuisio fieri debet duobus terminis, nisi inopia uocabulorum hoc prohibeat.

Tertia.

Differentiæ quæ aliqua oppositionis specie differunt, sola generibus accommodari possunt in legitima diuisione.

Quarta.

Differentia semper subiecto inesse debebit, in ueris diuisionibus.

Quinta.

Quemadmodum genera in species, ita differentiæ genericæ in alias sub se constitutas differentias non secus atq; genera diuidi debent.

Tertio :—

His regulis traditis ad id quod tertio loco proposui accedendum est, nimirum ut rationem & certam quandam Methodum inquirendarum differentiarum in singulis diuidendi generibus teneamus, quod ut facilius fiat singula genera proponenda sunt. Non est enim eadem ratio inquirendarum differentiarum in omnibus generibus. In prima ergo forma prioris generis hac Methodo

species

ſpecies & differentiæ inquirendæ ſunt. Primum omnium generis (nam ſola genera hac forma diuiduntur) prædicamentum quærendum eſt. Statim in proximas ſpecies ſubiectas generi diuidendum, mox in alias, donec ad infimas ſpecies deuentum fuerit, ubi conſiſtendum eſt, ſed non promiſcue & fortuito ſpecies diuidendo generi ſubijcies, ſed eas tantum, quas conſtituunt oppoſitæ differentiæ ſub eodem genere collocatæ. Vt animalium aliud eſt brutum, aliud eſt homo. Hic in proximas ſpecies quas conſtituunt oppoſitæ differentiæ, irrationale & rationale diductum eſt genus. Et ne erretur in aſsignandis ſpeciebus, profuerit primum in differentias genera diffidere. Poſtea differentias adiuncto generis uocabulo ſpecies ſtatuere, atq; hoc neceſſario faciendum eſt potiſsimum ſi ſpecies quibus oportet genus diuidi nominibus carent.

Sed dicat aliquis in Animalis diuiſione res plana eſt, ſed quid faciendum ubi nec differentiarum, nec ſpecierum ſunt uocabula. Huic inopiæ hoc pacto ſuccurrendum eſt: Vbi differentiæ non extant proprijs uocabulis, periphraſi uerborum utendum erit, ſi ſpecierum nomina deſunt accipe differentiam, eamq; ſuperiori generi copula. Omnis enim differentia in proprium genus ueniens ſpeciem facit. Vnde eſt ut genus materiæ, differentia uero formæ ſimilitudinem quandam referat. Sed labor eſt, inquies differentias illas inuenire. Labor quidem,

dem, sed non adeo difficilis, si Methodus accesserit, quam tertia regula supra tradita monstrat. Ex ea enim regula constat quod solæ illæ differentiæ, quæ à se inuicem aliquo oppositionis genere differunt suo genere positæ, genus ipsum possunt distinguere uera & legitima diuisione. Oppositionum autem genera esse quatuor nempe Contradictorium, Contrarium, Priuatiuum & Relatiuum, ex Dialectica notum relinquo, Hic tantummodo secundum quas oppositiones diuisio generis rectißime fiat admonere oportet, ac primum quidem de contradictionis oppositione dicendum est, quæ affirmatione & negatione proponitur: Quod autem negatio per se nullam constituit speciem, ex eo manifestum quod species omnis esse rem aliquam intendit, negatio uero quicquid proponit ab eo quod est esse disiungit, ut cum dico homo, aliquid esse innuo. Cum uero non homo, substantiam hominis negatione destruxi. Sic igitur diuisio generis in species per se caret negatione, necesse est tamen sæpe speciem negatione componere, cum ea, q̃ simplici nomine speciem uolumus aßignare, nullo uocabulo nuncupatur, ut cum dico. Imparium numerorum alij primi ut tres, quinq;, septem, Alij non primi ut nouem, Vt hoc pacto sæpe aßignemus species coget neceßitas non natura. Verum cum ita fiet diuisio, affirmationem sequetur negatio, non contra. Atq; hæc dicta sint de differentijs oppositis,

tis, quas constituit contradictio. Nunc de contrarijs dicendum, in quibus generum frequens est diuisio, fere enim cunctas differentias in contraria diducimus. Sed quoniam contrariorum alia sunt immediata, alia mediata, in utrisq; diuisio facienda est, ut colorum alij sunt nigri, alij albi, alij neutri. Hic quia indigentia nominum prohibet fieri bimembrem diuisionem, iuxta primam & secundam regulam diuisio facta est. In immediate contrarijs diuisio fiet bimembris, Vt figurarum aliæ æquales, aliæ inæquales sunt. Porrò diuisio secundum oppositionem priuantium uidetur similis contradictoriæ. Negat enim quodammodo priuatio habitum, sed differt, quod semper quidem potest esse negatio, priuatio uero non semper, sed tunc solummodo quando habere habitum naturæ rei conuenit. Quare forma quædam intelligitur esse priuatio. Non enim tantum priuat, sed etiam disponit quodammodo eum qui priuatur habitu. Hic ergo ut in superioribus diuisio generis fieri potest, ita tamen ut habitus priori loco ponatur, priuatio posteriori. Quarta oppositio est relatiuorum, quæ nullam habent substantialem differentiam qua à se discrepent, imò potius habent huiusmodi cognationem, qua ad se inuicem referantur, ac sine se esse non poßint. Non est ergo generis in relatiuas partes facienda diuisio. Neq; enim hominis species est seruus aut dominus, nec numeri, medium





aut duplum, in subiecti tamen in accidentia diuisione nihil prohibet per relatiuas partes fieri diuisionem, Vt hominum alij serui sunt, alij domini. Ex his manifestum esse puto, quomodo & species & differentiæ in uera generis diuisione constituendæ sunt.

DE ANALYSI PARTICVLAri enumeratione & diuisione κατὰ συμβεβηκός.

Nunc de totius in partes sectione (nam ea est altera prioris generis diuidendi forma, & proprie Analysis particularis est) dicam breuißime de qua in uniuersum hæc est obseruanda regula: Ex consideratione compositionis recte Totius diuisio ordinatur, ita ut semper à principalioribus partibus fiat diuisio in minores, donec res tota in minimas partes animo & cogitatione retexta fuerit. Vt quia homo componitur ex corpore hoc est materia, & anima id est forma tanquam principalibus partibus, recte fiat diuisio seu partitio hominis in corpus & animam. Deinde hæ partes ut tota accipiendæ sunt & diuidendæ in partes. Anima itaq; tametsi reuera non constat ex partibus, tamen quia in ea est uis uiuificandi, mouendi & intelligendi, recte anima in has partes uirtuales, ut uocant, diuidi potest, per se sane indiuisibilis. Et rursus hæ singulæ partes, ut tota cōstituendæ sunt. & diuidendæ. Deinde altera pars primæ diuisio-

nis ſumenda eſt nempe corpus, & ut totum arri-piendum, huiuſq; conſideranda eſt compoſitio. Vnde rurſus ἀνατομὴ inſtituenda eſt, donec in minimas partes diſſectum fuerit corpus. Hæc ratio totius diuidendi in partes, perutilis ad amplificandum & illuſtrandum eſt, quare & Rhetores de hac præceperunt. Tertia forma primi generis eſt enumeratio ſignificationum diuerſarum eiuſdem uocis. Huius Methodus ſecundum has regulas inſtituenda eſt. Primum omnium uidere oportet, quæ ſignificatio naturalis ſit (Eſt enim naturalis ſignificatio quam primum habuit uox cum inuenta eſt. Naturalia enim dicuntur, quæ cum unoquoq; nata ſunt) quæ tranſlatitia. Deinde ſi ſenſus patitur & contextus, retinenda eſt naturalis ſignificatio, Sin minus tranſlatitiæ ſignificationes ſunt enumerandæ, quarum ea aptanda eſt propoſito, quæ maximè quadrat, & firmis rationibus monſtrandum eſt quod aliæ uocis ſignificationes non conueniant.

Porrò poſterioris generis diuiſio hoc pacto inſtituetur. Subiectum in accidentia commodiſſime hac Methodo diſtribuetur, ſi per ſingula prædicamenta accidentium eatur. Vel ut Rodolpho placet per locos Dialecticos ordinetur propoſitæ rei deſcriptio, & inſtituatur ueluti quædam particularis Syntheſis, ut ſi officium aliquod fuerit diuidendum, recte in partes eas quæ ad officium faciunt fiet deſcriptio, id quod uidemus Paulum feciſſe in

 deſcri-

descriptione Episcopi ad Titum & Timotheum, de quo genere uide plura in Dialectica Philippi & in posterioribus commentarijs Erasmi de copia. Cæterum Methodus tractandæ inuentæ diuisionis hæc est uulgarissima: ut primum nostram diuisionem ponamus. Deinde eandem confirmemus, mox subijciamus aduersariorum eamq; rationibus destruamus.

DE METHODO COPVLATA DIDASCALICA.

Porrò ex his superioribus Methodis alia quædam Methodus, quam Didascalicam à suo proprio fine uocant, emergit. Et tametsi ex pluribus Methodis est conflata, tamen recte eam & simplicem uocaueris eo quod simplicium rerum tractandarum instrumentum sit, & copulatam, quæ conflatur ex plurib. particularibus Methodis, de qua quia Philippus in fine primi libri Erotematum Dialectices tractauit, inde studiosis quæ huc faciunt petenda relinquam, ubi prius membra potissima huius Methodi Didascalicæ, copulatæ recensuero. Priusquam igitur definitio rei quæritur, statuendum est an res sit, ideo An sit, quæstio, in Didascalica Methodo præcedit. Deinde definitionis Methodo natura rei explicetur. Tertio loco diuidendi Methodus adhibenda est, sub qua reliqua capita, seu quæstiones à Philippo positas comprehendo.

do. Nam ut totius in partes Analysin, & eã quam uocant καταγραφὴν, id est descriptionem, quæ fit per locos Dialecticos ad diuisionem refero. His tribus capitibus absoluitur Methodus Didascalica simplex, cum quibus capitibus & Philippi Methodus & Aristotelis quæstiones: An sit, quid sit, quale sit & propter quod sit, conueniunt. Atq; hæc de simplici Methodo, nunc ad compositam transeamus.

DE COMPOSITA METHODO.

Diximus de Methodo particulari simplici, nũc ordo postulat ut de composita dicamus. Huius in tota uita utilitas est maior, quam ut nostra oratio eius laudibus respondere posit: quare præconijs omißis rem quam possum planißime explicabo.

Est itaq; composita Methodus particularis, certa uia ac ratio, propositam quæstionem coniunctam in disputando, collocando, & examinando tractandi. Vt enim simplex Methodus quæstionem simplicem ita hæc coniunctam, quæ constat subiecto & prædicato, respicit. Varietas autem huius Methodi à uaria quæstionis propositæ natura, & propositionum quæ illi explicandæ adhibentur, uarietate, petenda est. Quocirca cum omnis quæstio composita aut probabilibus, aut fallacibus, aut necessarijs & perpetuis confirmari soleat, Tripli-

cem

cem hanc Methodum constituamus probabilem nimirum, Sophisticam & Apodicticam, de quibus primum particulatim quædam. Deinde de disputatione, collatione & examine singularum, quantum pro tenuitate ingenij licebit, dicam. Nam hæc pars potißimum iuuat studia iuuentutis, memoriam confirmat, in lectione optimorum autorum iter ostendit.

DE COMPOSITA PROBABILI.

Methodus Composita probabilis, est uia ac ratio, probabilem quæstionem tractandi probabilibus argumentis, seu propositionibus, cum secundum Dialectices præcepta recte instituuntur argumenta, quod ubi fit conceßis propositionibus probabilibus sequitur conclusio necessario, unde Aristoteles præscribit non petendam, hoc est non quærendam esse conclusionem, sed ex præmißis datis inferendam, Nam qui admittit præmissas in bona consequentia, necessario conclusionem uelit nolit admittet. An non quæstio, dubia est, de qua in utramq; partem disserere licet? Quomodo ergo dicis nunc necessariam, quæ est dubia, quam etiam paulo antea probabilem appellasti? Datis propositionibus hoc est præmißis, qualescunq; fuerint, si modo seruatur norma syllogismi, conclusio sequitur idq; necessario etiamsi materia non sit necessaria.

ria. Sic enim definit Aristoteles syllogismum, orationem esse dicens, in quâ quibusdam positis propositionibus per ipsas sequitur conclusio, idq; necessitate consequentiæ non naturæ. Duplex enim necessarium Dialecticus considerat aliud per naturam, aliud per consequentiam. Necessarium per consequentiam omnem syllogismum legitime factum sequitur. Necessarium uero per naturam & per consequentiam & per subiectam materiam in solis demonstrationibus existit.

Porrò Methodus hæc in genere petenda est primum ex natura quæstionis propositæ. Secundo ex inuentione argumentorum. Tertio ex doctrina de syllogismis. Verum hic arte opus est quæ iudicium regat. Nam proposita quæstione triplex cura animum occupabit, prima quæstionis, media argumentandi, ultima formæ, ad q̄ potissimum alligandum est argumentum. Sed hæc postrema ex genere quæstionis pendet, Nam aliud quæstionis genus aliud argumentum aliamq; formam exigit. Dicendum est ergo necessariò hoc loco primum de generibus quæstionum Dialecticarum. Deinde de argumentis, quæ singulis quæstionum generibus conueniunt. Postremum de formis, quæ argumentis inuentis et quæstioni propositæ accommodatæ sunt.

Quæstionum itaq; Dialecticarum genera quatuor fecit Aristoteles: Definitionis, Generis, Proprij & Accidentis.

Defini-

Definitionis quæstio est, quando definitio de definito prædicatur et contra. Generis, quando proprium genus, uel differentia de specie adfertur. Proprij, quando proprium prædicatur de subiecto Accidentis, cum accidens adfertur, uel quæritur de subiecto. In quibus generibus ne erretur hæc obseruatio est necessaria: quod quæstio non sortiatur nomen à subiecto, sed tantum à prædicato, hoc est ab habitudine prædicati ad subiectum. Vt si quæratur sit ne homo animal: generis est quæstio, genus enim in hac quæstione prædicatur. Sit ne anima harmonia, est quidem & hæc generis quæstio, sed non naturalis. Eodem modo de alijs iudicandũ est. Oblata ergo quæstione de qua cõtrouersia est, primum omnium cuius generis sit quæratur. Deinde cognito genere quæstionis, loci prudenter consulendi sunt à quibus ducantur argumenta, per quæ uel confirmari uel confutari quæstio poterit, Id autem aptißimè uidetur fieri hoc modo: si diligenter perspexeris in quibus prædicamentis fuerint partes quæstionis, Nam ipsa prædicamenta præcipuos locos monstrant. Deinde si quæstio fuerit definitionis, genus & differentia propria debent esse eiusdem prædicamenti, quæ si fuerint idque secundum regulas in definitiua Methodo præscriptas, confirmanda est quæstio, sin minus refutanda & monstrandum uitium. Et quia differentiæ non subijciuntur oculis, plurimum facit ad inueni-

ueniendam differentiam, confirmandam et confutandam consulere locos effectuum, actuũ, adiacentium & cognatorum. Simile iudicium est de generis quæstione, sed ad hanc quoq; adhiberi solent loci speciei, proprij, Adiacentium, Actuum, Causarũ etc. In proprij quoq; quæstione loci interni ualent præcipue. Item actus et adiacentia & contraria. In accidentis autem quæstione, loci externi, Adiacentia, signa, communiter accidentia. Breuiter omnes loci possunt singulis generibus quæstionum adhiberi, sed alij alijs quæstionibus magis accommodati sunt, quemadmodum dictum est.

Porrò Aristoteles et Cicero operæprecium putauerunt esse in inquisitione argumentorum, considerare quæ nam quæstio sit cognitionis & quæ actionis. Quæ sane consideratio utilißima est. Nam si cognitionis est quæstio, loci interni et medij sunt accommodatiores. Si actionis medij et externi. Verum quia hæc in Topicis traduntur, inde petenda sunt, Nam Topica nihil aliud est, quam Methodus inueniendi argumenta consentanea quæstioni propositæ. Porrò quantum ad argumentorum formas attinet, quibus alligari debent argumenta, hoc tenendum est, Alia alijs figuris sunt magis accommodata, quare de hac re utilißima quædam præcepta subijciemus.

Primum. Si medium inuentum prædicari potest de subiecto quæstionis, aptißima erit prima figura. Secun-

Secundum. Si de inuento medio prædicari potest subiectum quæstionis, aptißima erit tertia figura.

Tertium. Si mediũ & subiectũ quæstionis sunt paria, in prima & tertia figura concludere licet.

Quartum. Si medium neq; antecedens, neq; consequens est extremorum quæstionis, uel duplex adhibenda est argumentatio, uel Enthimema aptius erit syllogismo, Vt si quæratur sit ne uoluptas expetenda? Inuenio medium quod est dolor, prorsus ab utroq; extremorum quæstionis dissentaneũ, Nam nec uoluptas est dolor, nec expetendus est dolor, nec contra. Hic ergo opus erit duplici argumentatione, & nouum medium quærendum, quod latet in priori medio hoc pacto: Quod naturam offendit, est fugiendum, dolor naturam offendit, Ergo dolor est fugiendus, Si fugiendus est dolor uoluptas expetenda est, Atqui dolor fugiendus est, Ergo uoluptas est expetenda.

Hoc solet plerumq; fieri in locis contrariorũ, Similitudinis, dißimilitudinis, maioris, minoris & paris. Item causarum & effectuum, quod qui non animaduertunt, in accõmodandis locis sæpe laborant. Verũ hæc in Dialecticis fusius tractãda sunt.

Quintum. In destructione quæstionis affirmatæ dominatur secunda figura.

Sextum. In confirmanda Vniuersali propositione dominatur Barbara, primæ figuræ primus modus,

dus, & inductio ex quibuscunq; locis promantur argumenta, Tametsi hæc plana sunt, tamen quædam præcepta de affectione medij ad propositæ quæstionis partes adscribam, ut inquirentis & iudicantis labor hac ratione leuetur. In prima itaq; figura hæc debet esse medij ex locis inuenti affectio ad extrema quæstionis propositæ, ut in omnibus modis medium adferatur de subiecto conclusionis. Deinde in affirmatiuis modis sit antecedens prædicati, in negatiuis uero repugnans. In secunda hæc debet esse medij dispositio, ut semper alterius extremorum quæstionis sit repugnans. At in Cæsare & Festimo repugnans sit prædicati, et consequens subiecti quæstionis. In Camestres uero & Baroco, sit consequens prædicati & repugnans subiecti.

Porrò, in tertia figura semper medium antecedens sit subiecti, in affirmatis quoq; antecedens sit prædicati, sed in negatis repugnans prædicati. Hæc consideratio habitudinis medij multum iuuat & ad inueniendum medium, & ad formas inuentis apte accommodandas. Porrò ut res uniuersa fiat illustrior, ea quæ hactenus dicta sunt exemplo declarabo. Proponatur hæc quæstio in medium. Ecquid anima sit harmonia, ut uoluerunt Platonici. Primum hic aduertendum est, quod sit generis quæstio. Cum enim quæritur An anima sit harmonia, quæritur an harmonia sit genus in hac

quæstione. Deinde facile est uidere cognitionis non actionis quæstionem esse, Vnde & hoc ex superioribus notum relinquetur qui loci potißimum consulendi sunt, sed prius uidendum in quibus prædicamentis sint partes quæstionis, id quod ex partium natura facile est intelligere. Anima siquidem cum sit forma hominis substantialis, et altera pars substantiæ hominis, & per se subsistat separata à corpore, in prædicamento erit substantiæ.

Harmonia uero cum sit nihil aliud, quam partium, aut numerorum, aut figurarum quædam dispositio, Vel ut Augustinus definit, concentus quidam ex dißimilium uocum moderatione factus in quantitatis prædicamento erit. Hac tanquam κατασκευὴ adhibita, consulendi sunt loci ac primum definitionis, deinde reliqui ut generis, proprij, differentiæ. Iam inuenta ex locis conferēda sunt cum partibus, quæstionis, & pro diuersa habitudine inuentorum ad quæstionem, ut supra dictum est, instituenda est argumentatio. Definitio animæ est forma substantialis hominis, hæc quia consequens est ad subiectum quæstionis, aptißima erit prima figura. Et quia repugnat prædicato quæstionis quæ est indefinita, erit modus Ferio hoc pacto. Nulla forma substantialis hominis est harmonia, Anima est substantialis forma hominis, ergo anima non est harmonia. Deinde quia medium repugnat prædicato, & adfertur de subiecto, poterit etiam

accom-

accommodari tertio modo secundæ figuræ hoc pacto. Nulla harmonia est forma substantialis hominis, Anima est forma substantialis hominis, Ergo anima non est harmonia. Ad eundem modum reliqui loci, qui attingunt primum quæstionis substantiam cousulendi sunt. Loci generis, Animæ, sunt forma, spiritus, substantia, loci generis, Harmoniæ, sunt concentus, dispositio, quantitas. Loci generis animæ applicati concludunt quemadmodum in definitione dictum est, hoc est in Ferio & in Festino. At si ex generibus harmoniæ petis media, solus modus Baroco erit accommodatus, & tot erunt syllogismi, quot utriusq; genera erant aßignata. In qua re facile uidere est quantum momenti huc adferant prædicamentorum ordines. Atq; hæc sint breuiter dicta de Methodo probabili, quæ diligentius & fusius in Topicis explicanda est. Prima enim elementa hic attigisse satis est, ut Methodus aliquo modo conspiciatur.

DE METHODO SOPHISTICA.

Methodus Sophistica est uia ac ratio, per argumenta φαινόμενα ueritati tenebras offundendi, & homines incautos decipiendi, quæ quia indigna est homine nato ad ueritatem amplectendam, & uehementer nocet moribus ac communi societati, omnino studiosis tota hæc cauillandi ra-

tio deteſtanda eſt. Adoleſcentes, n. Sophiſtarum paraſtrophis aſſuefacti, nunquam ueram Dialecticam diſcunt, neq; unquam res bonas adferunt, ſed tandem ſua ipſorum fallacia miſerè decipiuntur, nunquam ueritati ab alijs traditæ acquieſcentes intrepide. Quod autem Ariſtoteles multa de fallacijs Sophiſticis præcepta, in duobus illis de Sophiſticis Elenchis congeßit, hoc non fecit ut Sophiſtas faceret, aut Sophiſticen traderet, Verum ut auxiliare Pharmacum nobis exhiberet ad euitandas, ut ipſe uocat Sophiſticas ἐνοχλήσεις, Non ſecus atq; Nicander, qui de uenenis tractauit, non ut ijs utamur alijs in perniciem, ſed ut ea potius cauere poßimus ne nobis noceant. Cæterum ſi Methodum aliquam quæras diluendi Sophiſtica argumenta, nulla melior præſcribi poteſt quam ea quæ ab Ariſtotele, à Philippo & à Villichio tradita eſt, quare de ea hic peculiaria præcepta non præſcribam, ſed tantum monere uolo adoleſcentes, ut propoſito argumento falſo, ſeu Sophiſtico, primum omnium perluſtrent animo regulas conſequentiarum, & uideant num quid peccetur contra aliquam regulam conſequentiarum, quod ſi ſit reijcienda eſt conſequentia. At ſi nullum peccatum ibi apparet rerum ſequatur examen locis in conſilium, ex quibus falſum illud argumentum ductum eſt, adhibitis. Tertio uidendum utrum ex locis Sophiſticis aliqua fallacia commiſſa ſit. Hæc triplex

cura

cura ſit reſpondentis ad Sophiſtica argumenta, qualia omnia ſunt quæ falſum aliquid ſub ueritatis titulo concludunt, ſed de his plura in Dialectica.

DE METHODO DEMONSTRATIVA,

De Demons

Tametſi Methodus Demonſtratiua non poteſt exacte tradi breui aliquo compendio: tamen breuiter conabor deliniamenta ſaltem huius Methodi attingere. Eſt autem hæc Methodus Philoſophorum fere propria, Nam demonſtratione Philoſophis eſt opus ueluti inſtrumento ad Philoſophiæ partium Theoricæ & practicæ, hoc eſt cognitionis & actionis rectam explicationem: Sicut enim faber amußis beneficio lignum rectum à curuo, et ædificator perpendiculo parietem æqualem ab inclinato diſcernit, ſic Philoſophus in ſpeculatione quidem uerum à falſo, in actione uero bonum à malo demonſtrandi regula ſeparat.

Eſt autem Demonſtrandi Methodus recta uia ac ratio, ex neceſſarijs notiſq; propoſitionibus immotam concluſionem inferendi. Vt autem hæc Methodus utcunq; intelligatur primum oportet ſcire in omni demonſtratione duo ſpectanda eſſe, tanquam principalia capita, quorum unum eſt problema ipſum (ſic enim Ariſtoteles uocat quæſtionem in diſputationem adductam) q demonſtrandum proponitur. Alterum propoſitiones quibus

apud [illegible] aliud [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ſi ad [illegible]

τὸ πρόβλημα probatur. Deinde in omni problemate duo sunt, prius datum, Alterum quæsitum, more Geometrarum uocant. Vt in hoc problemate, sit Anima immortalis nec ne, Anima datum, immortalis uero quæsitum est. Porrò propositiones per quas probatur problema ad minimum duæ sunt, quas ante unamquamque particularium demonstrationum præcognosci necesse est. Non enim poßibile est quicquam non omnibus propositionibus cognitis concludere ἀποδεικτικῶς. Sed inter illas duas propositiones, quas in demonstratione adhiberi necesse est, hoc est discriminis, quod maior sit omnino commune quoddam axioma, cui fides adhibeatur propter euidentiam dignum est, unde et axioma id est dignitas dicta est. Minores uero propositiones quoniam sunt infinitæ, nō sunt tam obuiæ aut notæ, attamen in maioribus propositionibus uirtute comprehenduntur, ut in syllogismo hoc. Omne animal est substantia, homo est animal, Ergo homo est substantia. Minor propositio, homo est animal, comprehensa est uirtute in maiori animal est substantia. Vnde hæc tria necessarium est cognoscere ante omnem demonstrationem, datum et quæsitum in problemate et dignitatem, hoc est propositionem illam notam et dignam fide sua euidentia, Sit problema. Estne iusticia laudanda nec ne? Datum est iusticia quæsitum laudanda, præter hæc oportet me dignitatem (Sic enim inter

pre-

pretantur axioma) habere, quæ est: Honesta sunt laudanda, hoc adeo euidens est, ut qui contradicat prorsus insanus existimetur. Hæc tria cum adsunt materiam demonstrationis habes, quam sic formare debes. Omnia honesta sunt laudanda, iusticia est honesta. Ergo iusticia est laudanda. Et tot possunt fieri ex hac una dignitate demonstrationes, quot sunt partes subiectiuæ, ut uocant, subiecti axiomatis. Deinde cum scitur quæ nam oporteat præcognoscere ante demonstrationem, sciendum & hoc est quibus modis oporteat ea præcognoscere, cum sint ἐπιστημονικαὶ quæstiones quatuor, quod sit, quid sit, quale sit & propter quid sit. In dato ergo id est subiecto problematis oportet præcognoscere et quod sit, et quid sit, in quæsito quid sit solum, in dignitatibus an sint, seu quod sint, idq; quia sunt propositiones. His cognitis discrimina dignitatum tenenda sunt, nimirum quod aliæ omnibus scientijs, aliæ quibusdam, aliæ uni tantum scientiæ subijciantur. In omni scientia locum habet hæc dignitas: In singulis affirmatio aut negatio est uera, Hæc uero: Eidem æqualia inuicem sunt æqualia, pluribus famulatur scientijs, nimirum Musicæ, Geometriæ & Arithmeticæ. Porrò hæc: Honesta sunt facienda, in sola morali Philosophia locum habet. Præterea genera Demonstrationum cognoscenda sunt, et Methodus singulorum. Genera autem sunt uaria, sed nos cum Philopono in hunc modum di-

uidamus. Alia demonstratio est directa, Alia ducens ad impossibile, Directa alia κατὰ σύνθεσιν, alia κατὰ ἀνάλυσιν instituitur. Illa sola quæ instituitur κατὰ σύνθεσιν διότι, id est propter quid, reliquæ omnes cuiuscunque fuerint generis demonstrationis ὅτι, id est quod est, uel quia est appellantur. Præter has formas est quædam demonstratio quæ σημειώδης dicitur, uidelicet cum à necessarijs signis aliquid concluditur. Nunc de his omnibus, eo quem proposui ordine dicamus. Directa itaq; demonstratio κατὰ σύνθεσιν est, quæ à quibusdam confessis principijs paulatim alias atq; alias conclusiones extruit, quod subiectis exemplis ostendere conabor.

PHYSICVM EXEMPLVM.

QVicquid habet uim species rerum sensibilium apprehendentem sentit. Omne animal habet uim species rerum sensibilium apprehendendi. Ergo omne animal sentit. Hæc demonstratio in Synthesi huius generis potissima est. Medium enim definitio est subiecti, simul sumpta cum definitione passionis, Nam ita τὸ ζητούμενον appellatur. Vnde in maiori propositione passio prædicatur de definitione subiecti, in qua definitione exprimuntur principia ipsius passionis. Subiectum enim non solum comparatur ad propriam passionem ratione

tione causæ materialis (id est ratione materiæ in qua hæret passio) uerumetiam ratione causæ efficientis. Definitio ergo subiecti simul sumpta cum definitione paßionis, exprimit causam efficientem ipsius paßionis immediatam & necessariam. Si enim quæris quid sit animal, recte respondetur quod habet uim species rerum sensibilium apprehendendi. Si rursus sentire quid sit interroges, recte respondetur habere uim species rerum sensibiliũ apprehendendi. Hæc ergo definitio et propria paßio subiecti constituunt maiorem, hoc pacto: Quicquid habet uim species rerum sensibilium apprehendendi sentit. Hic est secundus modus dicendi per se. Deinde primo prædicatur, seu dicitur, hoc est subiectum et prædicatum sunt ita adæquata, ut prædicatum non poßit inueniri extra subiectum, nec econuerso. Deinde Vniuersaliter dicitur, quia prædicatum de subiecto, & econtra, potest uniuersaliter prædicari. Minor est: Omne animal habet uim apprehendendi species rerum sensibilium. Primus est modus dicendi per se, dicitur etiam primo & uniuersaliter. Conclusio. Ergo omne animal sentit. Estq; secundus modus dicendi per se, Dicitur quoq; primo & uniuersaliter. Hæc demonstratio prædicatũ inesse subiecto generi monstrat. Tales debent esse omnes potißimæ demonstrationes seu primæ in Synthesi, ubi uides medium terminum continere duo, nempe definitionem





 subie-

subiecti conclusionis et definitionem paßionis hoc est prædicati. Porrò in syllogismis qui extruũtur κτ̃ σὺνθεσιν à potißima, omnes quidem constabunt propositionibus de modo primo & secundo dicendi per se, sed primo & uniuersaliter non dicuntur, nisi sola maior proximi syllogismi post potißimam. Cæterum conclusio potißimæ demonstrationis approbata & demonstrata fit ἀξίωμα sequentis syllogismi, atq; ita de reliquis sequentibus ordine iudicandum est. Extruamus itaq; ex conclusione proximi syllogismi hoc pacto. Omne animal sentit. Secundus modus dicendi per se, & dicitur primo & uniuersaliter. Dicitur primo quia non est alia causa [illegible] prædicatum insit subiecto. Vniuersaliter quia prædicatum & subiectum commeant, ut omne animal sentit, & omne quod sentit est animal. Secundus modus dicendi per se, dicitur primo & uniuersaliter. Quicquid ratiocinatur est animal. Hæc minor uirtute est in maiore, unde sequitur conclusio. Quicquid ratiocinatur sentit. Hæc conclusio sumatur rursus ut axioma, & extruatur hæc demonstratio. Quicquid rationale est sentit (est secundus modus dicendi per se, & est proprium secundo modo) Omnis homo rationalis est. Ergo omnis homo sentit. Si omnis homo. Ergo uir et mulier adeoq; omnia indiuidua speciei, de qua prædicatum monstratum est in proximo syllogismo. Deinde rursus ab altero genere

Animal

Animal extrue hoc pacto. Omne animal ſentit, omne brutum eſt animal, Ergo omne brutū ſentit. Hic etiam omnia quæ ſub bruto continentur genera (id eſt ſpecies) eorumq; indiuidua concluduntur ac demonſtrantur, Atq; tot poſſunt fieri extructiones, quot ſunt genera, ſpecies et indiuidua eorum quæ uim ſentiendi habent. Hæ omnes demonſtrationes ſunt ſecundariæ, & omnes concluduntur ui & efficacia dignitatis, ſeu axiomatis primi ſyllogiſmi, cuius præmiſſæ fuerunt immediatæ cauſæ concluſionis, ſed in reliquis inde extructis præmiſſæ fuerunt mediatæ cauſæ concluſionis, unde primus ſyllogiſmus tantum διότι ἔστι, id eſt cur ſit, reliqui omnes ὅτι ἔστι id quod ſit concludunt. Hic obiter interſeramus quæ ſit mediata quæq; immediata propoſitio. Mediata quidem propoſitio eſt illa, in qua prædicatum ineſt ſubiecto propter aliquid, cui tale prædicatum per eius genus conuenit. Sicut riſibile Socrati, quod prius conuenit homini. Immediata uero propoſitio eſt illa, in qua prædicatum non propter aliud ineſt ſubiecto. Sicut riſibile conuenit definitioni hominis, Vt omne animal mortale rationale eſt riſibile. Homo eſt animal mortale rationale, Eſt ergo riſibilis. Deinde demonſtrationes potiſſimæ etiam formantur à ſingulis generibus, in quibus propriæ paſſiones adferuntur, ſeu prædicantur, ut omne animal rationale eſt riſibile (hic propria paſſio prædicatur de defini-

definitione hominis) omnis homo est animal rationale. Ergo omnis homo est risibilis. Hæc est διότι demonstratio, ex cuius cōclusione extrue κατὰ σύνθεσιν per mediatas causas alios syllogismos, & conclude propriam paßionem speciei, de singulis indiuiduis propositæ speciei. Socrates est homo, Ergo Socrates est risibilis etc.

AETICVM EXEMPLVM.

Axiomata Æthica primaria sunt hæc. Quicquid conuenit naturæ expetendum est. Bonum expetendum est, per se bonum magis expetendum est. Summum per se bonum summopere expetendum est. His quatuor axiomatis alia quatuor ex aduerso respondent. Quicquid nocet naturæ fugiendum est. Malum fugiendum est. Per se malum magis fugiendum est. Maximum per se malum summopere fugiendum est. Hæc sunt axiomata in doctrina de moribus, ex quibus omnia sua præcepta in Æthicis extruxit Aristoteles, nos breuiter, ut ostendatur usus huius demonstrationis pauca extruamus.

Quicquid conuenit naturæ expetendum est, omnia honesta, utilia et suauia non pugnantia cū honestate conueniunt naturæ. Ergo hæc omnia expetenda sunt. Nunc uero quia propositiones conclusionum approbatæ et demonstratæ, fiunt axiomata in progreßione Synthetica, ex prima conclusione faciamus tria axiomata, Honesta expetenda sunt.

sunt. Vtilia expetenda sunt. Suauia non pugnantia cum honestate expetenda sunt. Ex primo axiomate sic extrue. Honesta omnia expetenda sunt. Virtus omnis est honesta. Ergo omnis uirtus expetenda est. Hæc conclusio fit rursus axioma hoc modo. Omnis uirtus est expetenda: Iusticia, temperantia, fortitudo, prudentia sunt uirtutes. Ergo iusticia, temperantia, fortitudo, prudentia sunt expetendæ. Ex hac conclusione quatuor axiomata licet facere, ex quibus rursus omnia, quæ in ijs uirtute excluduntur demonstrari possunt. Eodem modo ex secundo & tertio axiomate (de utilibus et suauibus) demonstrandæ sunt omnes partes utilis & suauis. Sed quia res ex ijs quæ dicta sunt intelligi potest, ad Geometrica exempla properemus.

GEOMETRICVM EXEMPLVM.

Omnis triangulus habet tres angulos, duobus rectis pares. Omnis Isopleuros, Isosceles, Schalynos, Ortogonios, Amphligonios, Oxygonios est triangulus. Ergo omnis Isopleuros & cæteri habent tres angulos duobus rectis pares. Hinc tot licet axiomata constituere, quot sunt species trianguli subsumptæ, sed satis est breuiter uiam monstrasse. Ex his Æthicis, Physicis & Geometricis exemplis puto satis intelligi quomodo demonstratio fiet in progreßione Syntheseos, Quare nunc accedamus

ad alterã speciem directæ demonstrationis, quam dixi uocari κατ' ἀνάλυσιν.

DE DEMONSTRATIONE directa κατ' ἀνάλυσιν.

Directa demonstratio κατ' ἀνάλυσιν est, quemadmodum supra definiuimus, ascensus à fine ad principium, Conclusio enim est quæ fuerat finis in Synthesi, Hanc demonstrationem unico exemplo declarabo. In Æthicis exemplis quæ proposuimus hæc fuit ultima conclusio Omnis iusticia, temperantia, fortitudo, prudentia, est expetenda. Hæc conclusio maior erit prima in Analysi, & in tertia figura procedendum est hoc pacto. Omnis iusticia est expetenda, omnis iusticia est uirtus. Ergo uirtus est expetenda. Hæc conclusio rursus retexenda est hoc pacto. Omnis uirtus est expetenda. Omnis uirtus est honesta. Ergo honesta sunt expetenda. Eodem modo de alijs partibus in ultima conclusione Syntheseos agendum est. Verum quod proponitur, quia in concessas & immotas propositiones, hoc est axiomata, resoluitur, ut monet Philoponus conclusionem in demonstratiuo facilius ἀναλύεσθαι quam in Dialectico syllogismo, idq; propter certitudinem medij in demonstratione. Deinde & conclusio particularis actu uirtute uniuersalis est, quia materia est necessaria. Atq; ita Analysis est ex posterioribus recursus ad principia

pia & causas, quemadmodum supra in Analysi Vniuersali admonui.

DE DEMONSTRATIONE DVCENTE AD IMPOSSIBILE.

Huius Demonstrationis duplex est ratio quantum ad formam concludendi attinet. Nam alias syllogismo Categorico, alias Hypothetico concludit. De utroq; hæc regula, seu axioma omnibus scientijs accommodatum tenendum est. Sed quid falsi, aut absurdi, aut pugnantis cum principijs sequitur ad aliud in bona consequentia, illud quoq; ex quo sequitur absurdum & falsum erit. Vt si quis diceret lineam esse corpus, hoc ita refutares, Si ostenderes corpus habere aliquam proprietatem, uel differentiam, uel accidens inseparabile, quod non habet linea, Cum impoßibile sit definitionem generis non prædicari de singulis generis speciebus, Hoc ergo pacto destruenda propositio aduersarij, per syllogismum in secunda figura. Omne corpus habet tres dimensiones. Linea non habet tres dimentiones: Ergo linea non est corpus. Tametsi autem in prima figura poßunt fieri conclusiones negatiuæ, tamen demonstrationes negatiuæ non fiunt nisi in secunda figura, Cuius hæc ratio est. In negatiuis oportet medium esse causam cur prædicatum conclusionis non insit subiecto, de quo

nega-

negabitur medius terminus. Quare fieri non poteſt ut minor propoſitio ſit affirmatiua, id quod fieri neceſſe eſt in prima figura. Relinquitur ergo negatiuas demonſtrationes in ſecunda figura ordinandas eſſe. Per hypotheticum ſyllogiſmum dupliciter inſtituitur, nimirũ à deſtructo conſequente, & à primo ad ultimum. A deſtructo conſequente hoc pacto: Si linea eſt corpus, linea habet tres dimenſiones. Sed linea non habet tres dimenſiones. Ergo linea non eſt corpus. A primo ad ultimum hoc modo. Si honeſta non ſunt expetenda, uirtus non eſt expetenda, iuſticia non eſt expetenda. Si iuſticia non eſt expetenda. Tueri natos, educare & colere ſocietatem non ſunt expetenda. Si hæc non ſunt expetenda, horribilis confuſio & totius naturæ fœda & immanis deſtructio eſt expetenda. Sed hoc eſt falſum, ergo illud etiam primum ex quo hoc ſequitur falſum eſt, uidelicet ꝙ honeſta non ſunt expetenda. At ſi hoc falſum eſt, eius repugnans erit uerum, nempe quod honeſta ſint expetenda. Atq; hac uia utimur potiſſimum quando aduerſarij principia uocant in quæſtionem.

DE DEMONSTRATIONE coniecturali, quam Græci σημειώδη appellant.

Potiſſima demonſtratio & propria reuera ex primis & immediatis & notioribus propoſitionibus

nibus probare debet poſteriora & minus manifeſta. Sed quoniam quod naturæ notum eſt, non ſemper nobis eſt notum, fit ut ſæpius de prioribus per poſteriora fidem faciamus, propterea quod poſteriora interdum nobis ſunt notiora. Cum itaq; hoc fit, demonſtratio dicitur τεκμηριώδης καὶ ἄλυτος, quæ quidem non eſt adeo demonſtrationis titulo digna atque ea quæ ex prioribus fidem facit poſteriorum, nimirū cum illa priora naturæ ſunt & nobis æquè cognita.

Hic tempeſtiuè uidetur adijciendum diſcrimen eorum quæ cognoſcuntur, quæ ſanè in triplici ſunt diſcrimine. Alia n. nobis notiora ſunt, alia naturæ, alia nobis & naturæ ex æquo nota ſunt. Eorum quæ nobis notiora ſunt, duplex eſt diſcrimen. Nam quædam αἰσθητά, nimirum quæ ſenſibus exterioribus, idq; uel aliquibus, uel omnibus percipiuntur ut hic color, hoc frigidum &c. Quædam συμπαρατηρήσει cognoſcuntur, hoc eſt crebra obſeruatione eorum quæ ſæpius ſenſibus offeruntur, quorum obſeruatio diutina gignit Vniuerſalem propoſitionem collectam uniuerſali experientia mentiſq; munere conſeruata, quæ poſtea quia eſt ἀνένστατος, in ſcientijs fit axioma, unde poſtea extruuntur innumeræ demonſtrationes. Huius generis pleraq; axiomata ſunt in ijs ſcientijs, quæ circa ſenſus uerſantur, qualis eſt Aſtrologia, Geometria Arithmetica &c. Hinc eſt quod Ariſtoteles &

post hunc Philoponus impoßibile esse dicunt, uniuersalia speculari nisi per inductionem quod sane de eo tantum genere intelligendum est, de quo nũc dixi. Ea autem quæ naturæ notiora sunt uocantur uniuersalia. Sed triplex est consideratio uniuersalis iuxta triplicem naturæ ordinem. Aut enim spectatur ordo τῆς συνθέσεως, secundum quem res à suis principijs extruuntur. Quo sane ordine magis confusa & magis uniuersalia priora sunt & notiora naturæ, quam quæ inde extruuntur, sic punctus in Geometria prior est linea, linea figura. Aut spectatur ordo τῆς διαιρέσεως uidelicet cum rerum formæ à principijs ortæ discernuntur paulatim, donec ad formas fuerit deuentum. Aut spectatur ordo τῆς ἀναλύσεως nimirum cum finis rei proponitur, & natura quasi deliberat & ordinat ea quæ ad finem spectant. Porrò quæ nobis & naturæ æque sunt nota, sunt ea uniuersalia existimanda, quæ nobis magis sunt nota quam eorum particularia, Cuius generis sunt omnia, quæ ui mentis sine sensuum ministerio agnoscimus, quæ quia sensus latent Græcis κεκρυμμένα nominantur; quia sine inductione sciũtur, προλήψεις, quia in mente quasi innatæ, κοιναὶ ἔννοιαι uocantur, ex quibus demonstrationes extruuntur omnium firmißimæ & nobilißimæ. His ita explicatis reuertamur eò unde digreßi sumus.

Demonstratio itaque τεκμηριώδης quæ &

ἄλυ-

ἄλυτος dicitur, fit per ea quæ συμπαρατηρήσει nobis sunt nota, naturæ resolutionis quidem ordine priora. Compositionis uero posteriora, ut si quæratur an Sphæricæ figuræ sit luna. Hic nihil ex prioribus demonstrare possumus, sed ex posterioribus omnino concludendum erit, nimirum ex illuminationibus lunæ, quæ insequuntur formam eius & dependent ab ipsa: Vnde probamus lunam esse sphæricam, quod est primum & causa illuminationum. Quoniam autem uidemus ipsam bis singulis mensibus falcatam fieri bis in duo sectam, bis utrinq; gibbosam, semel suum plæniluni-um habere, concludimus ex hoc sphæricam esse. Si enim esset discus, totus eius discus collectim aut illuminaretur, aut non, sole ipsi occurrente. Quoniam autem sphærica est, solq; ipsa est altior, accidit semper partem ipsius ad solem conuersam illuminari, & hoc paulatim fieri quousq; ad diametrum ipsi oppositam, totum hemispærium ipsum aspiciens illuminetur. Est igitur illuminatio indicium formæ ipsius, nec quia sic illuminetur, sphærica est, sed quia sphærica, illuminationes ratiocinamur, ex causa effectum. Verum quoniam natura primum, & causa, figura ipsa sphærica, est nobis incerta, manifestæ autem illuminationes, utimur posteriore ut fidem faciamus de priore. Et quoniam insolubilia sunt talia signa, & coniecturæ, probationes ex ipsis factas demonstrationes





uocamus, per ſecundam ut addit Philoponus menſuram demonſtrationis, Atq; hæc de demonſtrandi Methodo dicta ſufficiant.

DE DISPVTATIONE.

Tametſi uera diſputandi Methodus ex ijs præceptis, quæ in Methodo probabili & demonſtratiua præſcripſimus, commode peti poteſt, tamen hoc loco quædam quaſi concertantium ſtratagemata adijcere placet, quibus admoneantur adoleſcentes, quomodo cogitationes ſuas inſtituant, & intra quas metas cohibere eas debeant, ne ut rixoſæ mulierculæ ſine delectu et iudicio uerbis contendant, quod cum fit neq; ipſi quicquam præter garrulitatem inanem reportant, neq; de quæſtionibus in certamen productis iudicium ferre poſſunt, quo fit ut ſapere quidem ſibi uideantur, ſed rerum dulciſſima ueritate amiſſa, errorum tenebris et ignorantia inuoluantur. Nec enim diſputatio garrulitas muliebris eſſe debet, ſed amica quædam & placida confabulatio, Nam dialecticorum eſt ut inquit Plato πραότερον διαλέγεσθαι, cuius finis ultimus eſſe debet ueritatis inquiſitio, cui inuentæ & quaſi è tenebris emerſæ acquieſcere debemus. Quod autem interdum diſputatur de rebus quarum nulla eſt diſſenſio, hoc fit ideo, ut adoleſcentes adſueſiant ad defendendam & non oppugnandam ueritatem. Et ut tyrones militares in umbra ſe primum præparant, ut poſtea cum res agenda eſt ſerio,

rio, ſint inſtructiores & magis ad ictus tum inferendos, tum euitandos idonei. Ita ſtudioſi in ſcholis diſputationibus crebris ſe exercere debent, ut poſtea ueritatis fortiores patroni eſſe poßint. Sed omißi longiori exordio rem ipſam aggrediamur. In diſputatione duo eſſe debent apparatus & conflictus ſeu concertatio. Apparatus conſiſtit in noticia locorum in habitudine eorundem ad ſe inuicem, & in accommodatione ipſorum ad propoſitam quæſtionem, quæ tria tametſi in Dialecticis traduntur, tamen de duobus poſtremis hic pauca dicam, ac primum de habitudine locorum ad ſe inuicem, quæ habitudo ex his regulis intelligi poteſt.

Prima Regula.

Cuicumq; definitio attribuitur, eidem omnia ſuperiora directo ordine poſita genera eorumque differentiæ genericæ tribuuntur.

Secunda.

Cuicumq; genus attribuitur, eidem omnia ſuperiora directo ordine poſita genera eorumq; differentiæ genericæ attribuuntur.

Tertia.

Cuicumq; ſpecies attribuitur, eidem genus, differentia, definitio, proprium, Inſeparabile accidens attribui poteſt.

Quarta.

Cui proprium attribuitur, eidem ſpecies cum

omnibus superioribus, differentia & definitio attribuitur.

Quinta.

Cuicumq; differentia attribuitur, eidem genus & species attribui debent.

Sexta.

Causa effectum, & effectus causam sequitur.

Septima.

Partes sequuntur totum, qui enim totum admittit partes negare non potest.

Octaua.

Modo posito ponitur & nomen principale, & contra.

Nona.

Cuicumq; tribuuntur accidentia & actus, illud existere necesse est ut subiectum.

Decima.

Relatiuorum mutua est positio & illatio. Hæ decem regulæ continent apparatum, seu habitudinem locorum inter se, quatenus fere affirmandis quæstionibus adhiberi possunt.

Porrò si quæstio neganda est despiciendum erit quid aliquo affirmato uel negato negari poterit, qua de re sequentes regulæ obseruandæ sunt.

Prima.

Cui definitio adimitur, eidem species adimitur necessario.

Secunda.

Cui

Cui differentiæ & proprium adimuntur, de eodem & species denegabitur.

Tertia.

Negatis genere, differentia, definitione, proprio & inseparabili accidente, negabitur & species.

Quarta.

Negatis partibus, negabitur & totum.

Quinta.

Negata causa, negatur effecta, & è contra.

Sexta.

Negatis subiectis, denegabuntur adiacentia, actus, & accidentia omnia.

Septima.

Negato nomine principali, denegabitur & modus & è contra.

Octaua.

Sublato relatiuo, negabitur correlatiuum.

Nona.

Cui attribuitur genus certum, de eodem diuersa genera omnia eorumq; differentiæ & species negabuntur.

Decima.

Cui species tribuitur certa, reliquæ negabuntur.

Vndecima.

Cui tribuitur unum contrarium, ab eodem reliquum remouetur. Vbi hanc locorum inter se habitudinem, de qua plura in Dialecticis præcipiuntur, studiosus intellexerit, facilis erit postea accom-

modatio, quæ omnino instituenda est quemadmodum præscriptum est in probabili Methodo, & pro diuersa habitudine loci ad partes quæstionis propositæ, erunt aliæ atq; aliæ formæ adhibendæ. In conflictu seu concertatione cauendum est ne ictus inferentes, icti proprijs telis à bello discedamus, nullo prius uirtutis facto edito, quod ne fiat arma nostra debent nobis esse cognita, hoc est, argumenta debent secundum normas Dialecticas deduci in disputationem, quorum uis & connexio in promptu debent esse, si ea aduersarius uel contempserit, uel improbauerit. Si contempserit, hoc est si connexionem reiecerit, in promptu ex locis & regulis consequentiarum ratio nexus esse debet. Si improbauerit quid, nouo quasi telo defendendum est, donec uel iuste uictus fueris, uel uictor ipse euaseris. Nec est unica uia adoriendi aduersarium. Vt enim in bellis alias aperto marte, alias ex insidijs hostem aggredimur, ita in disputatione alias aperto argumento aduersarij propositionem impugnabimus, alias ex insidijs. Hinc duplicem argumentandi ductum fecerunt, Vnum directum, Alterum obliquum. De utroq; in hunc modum scribit Rodolphus. Ductus est, inquit, duplex cuiq; rei probandæ, unus directus, ut cum proposito aliquo uelut recta uia colligemus id quod probare uolumus. Vt qui probare uelit sapientem esse diuitem dicat, Sapiens nullius indiget, Ergo sapiens

est

est diues. Alius est ductus obliquus, ut cum accepto contradicente eius quod probare uolumus, colligimus ex eo aliquid q̃ falsum sit, unde regreßi docemus falsum id esse ex quo collectum est, idq; quia contradicens est eius quod intendimus probare, Consequens est, istud ipsum esse uerum. Vt sapiens est diues, Si enim non sit diues sapiens, cupit aliquid, sed falsum est hoc, falsum igitur ex quo colligitur id, hoc est non esse diuitem sapientem. Verum igitur erit quod intendimus sapientem esse diuitem.

Non sunt autem hæ argumentandi formæ, per omnes enim formas, quas exposuimus duci possunt sed uiæ quædam colligendæ intentionis. Ex his Rodolphi uerbis facile & unde materia utriusque ductus sit petenda, & quis sit utriusq; usus ostenditur.

DE COLLOCATIONE DIALECTICA.

Quæ hactenus dicta sunt pertinent ad eam disputationem, in qua certa themata proponuntur defendenda. Verum ubi cum disputantium neuter, quod probare, uel improbare uelit alter, nouit, alia ratio est nouaq; collatio adhibenda. Et quia de hac collatione multa præcepta apud Dialecticos extant quæ plurimum faciunt ad ordimem in Platone intelligendum, breuiter pauca præce-

pta colligam, idq; potißimum ex octauo libro Topicorum Aristotelis, Sine enim horum Aristotelicorum præceptorum intellectu, multæ ab imperitis effinguntur Platoni absurdæ opiniones. Neq; enim fieri potest ut Methodus collocationis Platonicæ intelligatur, ab ijs qui hanc doctrinam ignorant. Quoniam itaq; Dialogi constant interrogatione & responsione differentium, oportet utrumque hoc est interrogantem & respondentem certa & peculiaria tenere præcepta. Interrogantis itaque hæc sint præcepta. Primum oportet illum in promptu habere necessarias propositiones, hoc est ex quibus id probare potest quod intenditur, ut sunt maiores & minores propositiones in Syllogismis, præter necessarias propositiones quatuor propositionum generibus instructus esse debet disputator. Aliæ enim Inductionis gratia ut detur Vniuersale. Aliæ amplificationis gratia, ut auctior sit oratio. Aliæ occultationis causa, ut occultetur conclusio. Aliæ perspicuitatis causa, ut nulla excusatio haberi poßit, adhibebuntur. De necessariarum propositionum collocatione hoc sciendum est, quod uel directè collocandæ sunt, uel per occultationem. Directè cum statim id quod uolumus concludimus. Vt si quæratur an fœlices sint Tyranni, hoc pacto interroges. Consistit ne fœlicitas in uirtute? an Tyranni uirtutem habent? Si aduersarius hic primam admittit negata altera, inferen

da est conclusio. Ergo Tyranni non sunt fœlices. Et monet Aristoteles hoc loco ut recto ductu potius quàm obliquo utamur, nisi cum secus obtineri quod uolumus non potest. Deinde etiam monet quod necessariæ propositiones debent habere aliquid solidum & uere ἔυδοξυ & probabile. Monet tertio ut conclusionem non interrogemus, sed ut ex conceßis conclusionem inferamus. Nam conclusio confecta, est ueluti parta uictoria. Hanc enim si quis interroget concedit uictoriam partam aduersario. Quarto loco monet, ut ex interrogatione non Dialectica, faciamus Dialecticam, quam possumus affirmare, uel negare. Vt quis est homo, non est Dialectica interrogatio, sed sic, estne homo animal rationale an non? Cum enim hoc pacto interroges aduersarium idem ne an diuersum sentiat facile apparet. Quinto monet, ut de eadem re non sæpius interrogemus. De directa collocatione propositionum necessariarum hactenus, nunc de occultatione dicendum est. Non enim statim proponendæ sunt necessariæ ex quibus conclusio efficitur, sed occultandæ. Occultantur autem his fere modis. Primo si sursum ascendatur, hoc est si superiora genera, uel superiores theses sumantur, non ex quibus statim conficitur quod intenditur. Vt si quæstio esset an pietas principi sit necessaria non interrogemus primum de iusticia sed de habitu bono. Deinde de uirtute. Tertio de iusticia.

cia. Secundo si conclusiones sileantur, quibus necessariæ propositiones confirmantur. Plato ostensurus bonum, cupere, uirtutem non esse, propositiones has habuit. Alteram boni cupiditatem esse omnium. Alteram uirtutem non solum non omnium, sed paucißimorum. Vnde conclusio sequebatur. Itaq; boni cupiditatem & uirtutem idem non esse Harum altera propositio syllogismo colligatur. Nonne quisquis malus est, uirtutem non habet? Nonne permulti sunt mali? Hic omittatur conclusio, quæ est uirtutem permultos non habere, & construatur secunda propositio necessaria prius hoc pacto, nonne quisquis malum cupit, bonum non cupit? Et quisquis bonum cupit, is malum non cupit? Malum autem nemo cupit.

Hic etiam conclusio transiliatur quæ est, Bonum omnes cupere. Et quia iam habemus duorum syllogismorum concessas propositiones, habemus etiam eorundem conclusiones, quas cumulate inferre licet ubi oportunum uidetur. Breuiter hoc Aristotelis præceptum monet, ut conceßis contenti non auide quod sequitur occupemus, propterea quod hoc iam ipso aduersario inuito, haberi potest. Huius præcepti exemplis plænus est Socrates apud Platonem. Tertio si ordo propositionum permutetur, & commisceantur propositiones diuersorum syllogismorum hoc modo. Nonne is qui malus est uirtutem non habet? Nonne quisquis ma-

lum cupit bonum non cupit? Nonne mali permulti sunt? Nonne malum nemo cupit? Quarto, si coniugata interrogando commutentur. Vt si probandum esset bonum uirum esse dignum laude, interroges. Ecquid bene agere esset laudandum. Sed huius loci enstasin, uide in loco coniugatorum apud Philippum. Quinto, Si ita interrogemus ut aduersarius non intelligat ex forma quæstionis, quid cupiamus nobis concedi. Si enim interroges hoc modo, Nonne multi mali sunt? intelligit aduersarius te cupere affirmatiuam partem concedi. At si sic. Multi ne an pauci mali sunt? Ex quæstionis forma intelligi non potest, quid cupias concedi. Sexto, Si per similitudinem interrogetur, in qua latet uniuersale, ut potest ne ignis clare & sine fumo principio statim efflagrare? Ergo sine inuidia gloria subito enitescere non potest. Septimo, Si ipse interrogator interdum sibi ipsi resistat. Suspecti enim non habentur illi, qui æqui in disputando uidentur. Octauo, Si ea proponantur quæ usitata & trita sunt, in omniumq; ore uersantur, Authoritas enim omnibus causis & solet & debet ualere plurimum. Nono, Si necessariæ propositiones, ueluti non necessariæ interrogentur, dißimuletur, quam id quod intenditur, qui mos Socrati est familiaris. Decimo, Si similia per comparationem proponantur. Nonne quemadmodum multi indocti, multi pauperes, ita multi sunt

mali?

mali? Quia semper pauciora sunt hominib. bona, mala plurima. Vndecimo, Si declinetur in latus et sursum & undecunq;. Hac enim ratione facilius obtinetur conclusio, ut si uolo sumere posterius, interrogo id quod est prius & econtra, ut si concedat Papista Christum morte sua satisfecisse pro peccato generis humani. Confiteatur necesse est homines iusticia operum gloriari non posse. Duodecimo, Si ea in quibus est totius contentionis præsidium positum, non in principio statim proponantur. Vt enim firmißima præsidia non sunt statuenda in prima acie, sed rectius in nouißima collocantur. Ita in disputando diu occultanda sunt, in quibus plus uirium est. Decimotertio et ultimo, Si producantur et amplificentur, interijcianturq; in argumentatione, ea omnia quæ nihil ad rem pertinere uidebantur. Hac enim ratione celatur & obscuratur res Socratico more.

Hactenus de ijs propositionibus, quæ occultandæ conclusionis gratia adhiberi solent dictum est. Nunc de ijs propositionibus dicatur breuißime quæ ad amplificandum seu κόσμον orationis pertinent. Certum est duas esse tantum propositiones necessarias unius conclusionis, quæ ui & pondere ualeant. Cæteras quæcunq; præter has accumulantur, multitudine & turba ualere. Cum igitur loco uniuersalis propositionis ponimus inductionem, et loco definitionis diuisionem, certum est nos oratio

nem

nem uberiorem & ornatiorem reddere. Estq; hoc Aristotelis præceptum, quod πρὸς ὄγκον. et κόσμον orationis hæc duo potißimum faciunt ἐπαγωγὴ καὶ διαίρεσις, perspicuitatis gratia, seu ut Aristoteles inquit εἰς σαφήνειαν adhibebuntur, exempla et parabolæ quæ ad illustrandum & explanandum non solum à Dialecticis, uerumetiam ab oratoribus & poëtis sæpißime adhibentur. Postremum assumentur propositiones præter necessarias inductionis gratia, nimirum ut uniuersale inductione exprimatur, sed inductiōe potius apud imperitos, syllogismo uero apud doctos & dialecticos utendum est. Hactenus Methodus tradita est, qua instituatur disputator contra aduersarium, nunc pauca de re præcepta dentur. Vt quemadmodum aduersus astum respondentis munitus est consilijs disputator, ita sit ratione, cum se argumenti natura peruicax obiecerit. Est aūt unamquamq; rem probandi principium duplex, Alterum propositæ rei definitio, Alterum axioma, quorum illo clarè res in sua natura & ambitu cernitur, hoc euidenter quare in ea aliquid sit, intelligitur, reliqui loci his duobus famulantur. Sit quæstio, An quisquam mala ut mala cupiat. Hic primum quæratur axioma, uidelicet nemo uult esse infœlix. Hoc axioma fit maior, additur minor, Omnis qui cupit mala, uult esse infœlix. Hinc sequitur conclusio, neminem mala ut mala cupere. Hic si quis-

quiſquam axioma negauerit, nemo cupit eſſe inſœlix, nihil habemus quo iuuemus nos, quam definitiones rerum duarum, ſcilicet uerbi cupiendi et infœlicitatis, quibus oſtenſis niſi poteſt effici, ut recipiatur hæc ſententia, uix poteſt quidquam adferri ad probandum illuſtrius. Poſtquam nunc interrogator inſtructus eſt præceptis aduerſus aduerſarium, & rem in diſputationem adductam, ſequitur ut reſpondenti quoq; præcepta ex eodem Ariſtotele præſcribamus, ſed id faciemus breuiſſime: Officium itaq; reſpondentis in his conſiſtit: Primum diligenter attendat ex quibus aduerſarius probare nititur concluſionem falſam, caueatq; ne cauſas falſæ concluſionis, quæ ſunt propoſitiones in ſyllogiſmo concedat, ſed eas ſi omnino falſæ ſint reijciat, ſi ex parte diſtinguat. Deinde ipſam collectionem totam animo intueatur, quæ ſi dialectica non fuerit, reijcienda eſt, & monſtrandum uitium. Tertio contra aduerſarij perſonam ſubinde orationem flectat. Quarto contemnat ea quæ ab aduerſario tanquam neceſſaria adducta ſunt. Sunt & exercitationis præcepta communia opponenti & reſpondenti præſcripta ab Ariſtotele, quibus inſtructi eſſe debent diſputaturi, quorum præcipua recitabo.

Primum aſſueſcendum eſt argumentationes conuertere. Sic enim maior nobis ad diſputandum argumentorum ſuppetet copia, & in paucis multas

tas argumentationes tenebimus. Est autem conuertere, conuersa conclusione in contradictoriam uel contrariam, & assumpta altera propositionum alteram euertere, quod quomodo fiat paucis explicandum est. Si igitur syllogismus conuertendus fuerit primæ figuræ, maior per tertiam euertetur, minor per secundam, Vt, si quia omne honestum laudandum est, & omnis uirtus honesta, Ideo omnis uirtus laudanda. Siquidem uirtus quædam laudanda non sit, siue omnis uirtus est honesta, quoddam honestum non erit laudandum, siue Omne honestum est laudandum, quædam uirtus non erit honesta. Sed & omne honestum laudandum est, & omnis uirtus honesta, Stat igitur firma conclusio omnem uirtutem laudandam esse. Si syllogismus conuertendus fuerit secundæ figuræ, minor euertetur per primam, & maior per tertiam figuram. Vt si quia nullum turpe amandum, et omnis uoluptas est amanda, ideo nulla uoluptas turpis est. Siquidem quædam uoluptas turpis, siue omnis uoluptas est amanda, quoddam turpe erit amandum. Siue nullum turpe amandum, quædam uoluptas non erit amanda, sed turpe nullum amandum est, uoluptas autem omnis amanda non est. Ergo recte conuersa conclusio est, quandam uoluptatem turpem esse. Si conuertendus syllogismus fuerit tertiæ figuræ, maior in prima & minor in secunda euertetur. Vt si quia Crystallus omnis lu-

cidus est. Crystallus omnis lapis est, ideo quidam lapis lucidus est. Nam si lapis nullus est lucidus, siue Crystallus omnis lapis est, quidam Crystallus lucidus non erit. Siue Crystallus non lucidus est, Crystallus quidam lapis non erit. Sed & omnis Crystallus lucidus est, & omnis Crystallus lapis. Stat igitur firma conclusio quendam lapidem lucidum esse. Itaq; in eadem re sex argumenta licet conficere. Tria cum sumitur conclusionis contradictorium, & rursus tria cum sumitur conclusionis contrarium. Nec ulla res potentior est ad eluciendum uerum, quam subito & tanquam uno circulo positas eadem in re collectiones cernere. Quare non immerito Aristoteles τὰ ἀντίστροφα inter exercitij præcepta numerauit. Secundum præceptum est, ad omnem thesin, hoc est ad utramq; contradictionis partem argumenta spectare, unde fiet et simul in quærendo et respõdendo exercitatißimus, Sunt autem problematis cuiusq; duæ theses una affirmatiua, altera negatiua. Argumenta autem quæ sic per collationem ad utramq; quæstionis partem confirmandam adhibentur παράλληλα dicuntur, ut quæ inuicem comparata thesibus, problematis accommodantur. Sic problema, Deus irascatur nec ne, Sit argumentum primum non irasci, quia si tam potens irascitur, perire mundum oporteat, postquam potentes qui sunt homines, cum incanduerint late populantur omnia. Et hu-

ius παράλληλον irasci Deum, quia urbes incendio totas hauserit subito, & mundum totum diluuio obruerit. Item non irasci, quia commoueri non poßit. Et παράλληλον huius commoueri posse, quia & pœnitere & incendi & inflammari, & ira furere scriptura docet. Item non irasci quia rem tam fœdam, ne sapientes quidem in se admittant. Et παράλληλον ex eodem genere, irasci quia optimos quisq; indigna maxime re, maxime commoueatur. Item non irasci quia credere non possit, ledi se posse ab ullo. Et παράλληλον huius, irasci quia maiestatem suam summam apud homines à plerisq; uiolari & minui uideat. Hic exercitatio talis est, ut siue cogere uelis alium disputando, siue ipse uim effugere plurimum habeat momenti.

Tertium præceptum est, ut ad ea quæ sæpißime incidunt problemata, argumentorum copia instructißimus.

Quartum, ad omnem disputationem tria adferamus, principia, hypotheses & normam communem argumenti struendi. Principium est lux mentis & oculus. Hypothesis est fundamentum rei & ipsa res communis norma argumentandi est syllogismus.

Quintum ut rerum primarum, quas maxime in uita iactari & disceptari uidemus definitiones teneamus, Vbi enim definitio rei tenetur, iactum

est fundamentum ad omnem disputationem medicam, & sic de alijs.

Sextum, tenere oportet locos communes, per quos disserere licet ad multa problematum genera, sæpe enim accidit ut ex uno loco communi, multas Hypotheses colligere liceat.

Septimum. Locus communis potius quam syllogismus memoriæ mandandus est.

Octauum. Deducere unam propositionem in plures, quod quomodo fiat Rodolphus in secundo de inuentione optime docuit.

Nonum. Ad uniuersi generis quæstionem, reuocare quæstionem positam. Nam ita ex una multas facere licebit. Ornatißime enim inquit Cicero orationes hæ sunt, quæ latißime uagantur, & à priuata & singulari controuersia, ad uniuersi generis uim explicandam se confert, ut hi qui audiunt natura & genere, & uniuersa re cognita de singulis statuere poßint.

Decimum. Res in disputationem propositas ad sua κριτήρια reuocare oportet. Sunt autem κριτήρια pro rerum natura uaria, & quatuor à Platone & Plutarcho numerantur. Nam earum rerum quæ acie mentis sola cernuntur & intelliguntur κριτήριον est ἡ νόησις, quæ est eius rei perceptio, quæ mente sola percipiuntur, hoc est communium sententiarum, seu communium principiorum πρόληψις, quam non docemur, sed cognitam circumferi-

ferimus ac accommodamus problematis, quando in hanc uel illam partem feretur ſententia, adhibita demonſtrationis regula. Nam cum hæc νόησις ſit lumen rationis ut Plato inquit, eadem perſpicimus rerum ordinem & conſequentiam, quæ quia plus acuminis requirit accedit Dialectica, quæ huius ordinis & conſequentiæ facultatem iuuat. Huic κριτηρίῳ totam moralem Philoſophiam atq; ipſam Dialecticam ſubijcio. Deinde earum rerum, quæ ſub ſenſus cadunt & ſenſibus percipiuntur κριτήριον eſt πίστις, ſeu δόξα, quo uniuerſa quæ αἴσθητα hoc eſt ſub ſenſus cadentia appellantur, reuocanda ſunt. Hoc κριτήριον κατὰ συμπαρατήρησιν uniuerſalem experientiam parit, Vnde uniuerſale pronunciatum ſtatuitur, ex quo poſtea de particularibus iudicandum eſt. Huic Phyſicā ſubijcio & cognatas artes. Hoc enim pronunciatum: Quicquid pulmonem habet ſpirat, non eſt nouum per ſe, ſed per inductionem, Vnde uniuerſale collectum eſt. Atq; ita de alijs in Phyſica & Medicina. Porrò inter hæc duo κριτήρια νόησιν et πίστιν Plato tertium collocat nimirum διάνοιαν, quod circa res Mathematicas uerſatur, quæ partim mente, partim ſenſu percipiuntur. Nam ut Mathematica ſine ſenſibus intelligi non poſſunt, ita ſine intelligentia demonſtrari nequeunt. Vnde διάνοια talis æſtimatrix rerum eſt, quæ ex particulari ſiue uno ſiue pluribus, fert ſententiam de

communi pronunciato, ex quo rursus de omnibus particularibus eiusdem generis fit iudicium. Vt cum Mathematicus pingens circulum, ostendit in eo omnes lineas à centro ductas ad circumferentiam esse æquales, mox arripit discens commune pronunciatum, ex quo deinde fert sententiam, adhibita demonstrationis regula, de alijs particularibus circulis. Atq; hæc causa est cur putantur demonstrationes Mathematicæ euidentiores esse, quàm Æticæ, aut Physicæ: Quartum κριτήριον est εἰκασία hoc est simulatio seu effectio. Versatur enim circa rerum fabricandarum imagines, ad quas respicit artifex dum opus extruit. Hæc κριτήρια memoriæ commendanda sunt, & singulæ res suis κριτηρίοις subijciendæ & per illa dijudicandæ sunt.

Plutarchus in Platonicis quæstionibus hæc κριτήρια recitat, quæ dicit nobis esse à Deo data νοῦν μὲν τῶν νοητῶν, διάνοιαν δὲ τῶν μαθηματικῶν, πίστις δὲ τῶν αἰσθητῶν εἰκασίαν τῶν εἰκόνων καὶ τῶν περὶ τὰ εἴδωλα.

DE EXEGETICA METHODO.

Cum de exegetica Methodo dicturus sum uideo me operæprecium facturum, si hanc partem in quatuor membra distinxero, ut primum contineat formas interpretandi autores. Alterum, ea quæ fusius ab eloquentibus hominibus sunt exposi-

ta, ad Dialecticam breuitatem, & formas argumentationum Dialecticas certam rationem ac uiam reducendi præscribat. Tertium Methodum examinãdi ea, quæ tradita sunt præscribat. Quartum membrorum Methodum ediscendi quæcunq; memoria digna uidebuntur, commonstret.

DE PRIMO MEMBRO.

Ratio interpretandi autores non simplex est, sed ut plures sunt interpretationum fines, ita & plures formæ sunt. Aut enim uerba spectantur & phrases & est interpretatio Grammatica, quæ consistit in uerborum & phrasium explicatione, Aut summa cura rerum est, & interpretatio est Dialectica. Dialectica enim ars arbitra & æstimatrix rerum est, Aut accidentia uerborum et rerum spectantur, & est Rhetoricum interpretandi genus. Aut hæc omnia simul spectantur & interpretationis genus triuiale dicatur. Hæc genera ita adhibenda sunt, ut prudens Interpres uiderit commodum fore suis auditoribus, & professio efflagitare uidetur. Magnæ illæ professiones Theologia, Mathematica, Iurisprudẽtia, Physica, Æthica, rerum potissimum curam habere debent, quas commode tractari doctissimi quiq; hac uia iudicant. Si generalis uniuersa declaratio, summaq; rei tractandæ comprehensio præcedat. Si hanc generalem comprehensionem, seu summam, sequatur specialis distributio partium. Si hanc comitetur

membrorum explicatio, ſimplicium quidem per Methodum didaſcalicam. Cõpoſitorum uero per Methodum probabilem & demonſtratiuam, Si confutentur illorum, qui contra ſentiunt opiniones, Si deniq; ordo contextus optimus docendi Magiſter adhibeatur.

DE SECVNDO MEMBRO.

Hic omnium primum tenenda ſunt orationum diſcrimina. Nam Dialectica alij orationis generi, aliud inſtrumentũ genus adhibet. Eſt itaq; omnis oratio uel expoſitio tantum, uel argumentatio, uel mixta expoſitione & argumentione. Expoſitio eſt oratio quæ ſolum dicentis mentem explicat, nullo quo fides fiat adhibito. Argumentatio eſt oratio, per quam is qui dicit fidem conatur efficere. Mixta eſt in qua partim exponuntur ſeu narrantur res, partim probantur. Si itaq; oratio fuerit expoſitio tantum, Dialecticus quantumuis oratio longa fuerit uniuerſam reuocabit ad ſex quaſi elementa detractis ornamentis, ut nuda appareat rei expoſitio. Sunt autem elementa hæc, Perſona una pluresue, locus ubi geſtum, & tempus quo geſtum negocium ſit, modus quidam geſti negocij. His ſextum accedit cauſa geſtorum. Quoniam autem hæc præcipua ſunt capita, quæ expoſitionem per-

perficiant, Dialecticus absolutam eam iudicabit, quæ constat ex his omnibus, Itemq; ex ijs quæ ad illa referuntur. Contra deficientem quæ alicuius illorum indiget. Prudentiæ est narrantis uidere, ubi omnia hæc membra adhiberi necesse est, & ubi non sunt adhibenda. Hæc elementa uersiculo tali memoriæ gratia complecti soleo. Res, Persona, Locus, Tempus, Modus, Aetia narrant. Atq; hæc de examine expositionis sint dicta. Porrò in argumentatione maiores ingenij uires requiruntur, maior usus, maiorq; cura. Primũ enim quæstio principalis inuenienda est si latet. Secundo argumenta sunt inquirenda. Tertio reddenda sunt argumenta inuenta suis locis & accommodanda quæstioni. Postremum iudicandum est de inuentis, idq; tum ex Dialecticis normis, quæ regant animum ne fallatur iudicium. Quomodo autem inuenienda sit quæstio, docet Rodolphus in Secundo libro de Inuentione. In oratione enim habente aduersarium, ex contradictione altercantium nascitur quæstio. Vbi aduersarius ex aduerso non respondet, ut in continente oratione negocium, personæ, conatus. Hæc tria coniuncta monstrant quæstionem. De qua re Rodolphus præ alijs consulendus est, Postquam autem inuenta iam est quæstio, argumenta quærenda & inuenienda sunt, qua in re præcipua Dialectici uirtus se prodit. Quocirca nunc præcepta subijcienda sunt de hac re, ut inqui

rentis laborem nonnihil minuamus, dulcior sit optimorum autorum lectio, quando uis nexusq; rerum pœnitus peruidetur. In primis itaq; hoc sciendum est, quod magni autores in splendidioribus scriptis, tametsi Dialecticam ut normam rerum intuentur: tamen ordinem illum ut liberiores negligunt sæpe, interdum à proposito non ordiuntur, neq; concludunt, Assumptiones sæpe ad rationem probationemq; traducunt, ut difficillimum sit nonnunquam eorum argumentationes ad eum ordinem, qui naturalis & Dialecticus est reuocare. Verum si Dialecticus suo munere rite perfungi uelit, omnia illa retexet, & quæ quasi in campo amplißimo expatiantur, & disperguntur, in carceres Dialecticos includet, examinabit, approbabit, quod quomodo fiet breuiter explicandum est, Sit ergo hæc prima regula. Cum inuenerimus quæstionem, quicquid id est quod pro ratione positum est, si una propositio fuerit adhibendum est quæstioni, Enthimemaq; constituendum cuius antecedens erit ratio posita, consequens uero quæstionis propositio. Secunda. Si plures erunt propositiones, tum adhibendæ erunt altera alteri, uidendumq; an altera probetur per alteram. Tertia. Si altera probatur per alteram, quantum ad concludendam quæstionis propositionem attinet una est argumentatio, ordine tamen probandi plures. Quarta. Si non probatur altera propositio

per alteram, sed unaquæq; probat per se quæstionem, plures erunt argumentationes. Quinta. Quod si nec altera alteram probat, uel erunt plures unius argumentationis propositiones (scilicet maior & minor) uel plurium propositionum probationes. Haud enim raro usu uenit probationes propositionum poni loco propositionum. Sunt autem propositiones quibus quæstio in hanc uel illam partem confirmatur. Sexta. Si fuerint unius argumentationis probationes, in qua maior uis est primo loco collocanda est, in qua minus uirium secundo & conclusio erit syllogistica. Septima. Si plurium propositionũ fuerint probationes, singulæ probationes suis sunt propositionib. accommodandæ, Atq; ita in Enthimematis uel syllogismi formam reuocandæ. Octaua. Sæpe etiam hoc usu uenit quæstionem & probationem unius quasi propositionis formam obtinere, Sed Dialecticus hæc iudicabit & diuellet probationem à quæstione. Nona. Fit sæpe quod argumenta quasi punctu notentur, quæ Dialecticus complebit, & uocabit in iudicium. Decima. Vna sæpe propositio multa media continet, quibus quæstio aliqua est probanda, uerum illa retexet Dialecticus. Vbi autem adolescentes artis differendi Studiosi hæc præcepta perceperint, debent etiam cognitas formas argumentationum habere, quibus oratores utuntur. Vnde non tantum iudicium formare in iudicandis alio-

rum

rum ſcriptis diſcunt, uerumetiam quandam uiam ornatius argumentandi, ac argumenta illuſtrandi conſequuntur. Quare breuiter potiſsimas oratoriarum argumentationum formas ſubijciam, quas poſtea ad regulas præſcriptas examinare non erit difficile. Oratoriarum itaq; argumentationum aliæ perfectæ ſunt, aliæ imperfectæ, utrumq; genus in expreſſum & implicitum diuiditur. Perfecta & expreſſa argumentatio oratorib. ἐπιχείρημα dicitur, & eſt ſyllogiſmus Categoricus conſtans quinq; partibus, propoſitione maiore, ratione maioris una pluribuſue, propoſitione minore eiuſdem ratione una uel pluribus, & concluſione, quæ ſæpius omittitur, quia eſt propoſitio probanda. Sit quæſtio An uirtus cuiquam hominum inſita ſit natura? Ad hanc quæſtionem euertendam hoc uſus eſt Epichiremate Ariſtoteles. Quæ nobis à natura tributa ſunt, eorum primum facultates accepimus poſtea uero officijs muneribuſq; fungimur, idq; in ſenſibus cernitur. Neq; enim ex eo quod aut aſpeximus, aut audiuimus ſenſus accepimus. At cum iam eorum eſſemus compotes eis uſi ſumus, non cum uſi eſſemus percepimus. At uero uirtutes accepimus poſtquam prius aliquid à nobis actum eſt, quod in cæteris quoq; uidere eſt artibus. Quæ enim facienda ſunt cum didicimus ea, tum cum agimus diſcimus maxime. Veluti homines tum architecti exiſtunt maxime, cum ædificant. Moralis

igitur

igitur uirtus non naturaliter nobis ingenita est, sed exercitijs comparatur. Hic primo loco ponitur maior. Secundo ratio maioris. Tertio minor. Quarto minoris ratio. Quinto conclusio. Hic dialecticus primum inquiret propositiones necessarias maiorem & minorem, deinde ex illis & eorum probationibus noua argumenta constituet, quod quia in proposito argumento est facile omittam. Perfecta argumentatio sed implicita, similiter quinque constat partibus. Verum quia medium hic occultatur implicita dicitur. Alia enim uerborum forma repetitur medium in minori, ut oratio recipiat uarietatem. Quod in certum finem fertur aliqua prouidentia gubernatur. Nihil enim quod casu aut temeritate fertur aliquam destinatam metam spectat. At uniuersus hic mundus in certum scopum dirigitur, quem assequi laborat perpetuo. Quemadmodum uicissitudo temporum, ortus & occasus syderum, ordinatæ illæ orbium circumuolutiones ac pœnæ ingentium scelerum testantur. Relinquitur ergo hunc uniuersum orbem, quodam supremæ mentis consilio gubernari ac regi. Hæc est forma superiori similis, nisi quod hic & medius & maior terminus uarietate sermonis tegantur. Dialectici ergo est muneris, detracta uarietate rem nude proponere, & in iudicium uocare. Imperfecta argumentatio, seu ἐπιχείρημα imperfectum est in quo aliqua harum quinque partium deside-

desideratur, nunc enim maior, interdum eius probatio, nonnunquam minor, uel eius probatio abest. Quo autem plures desiderantur partes, eo est imperfectius ἐπιχείρημα. Hic obiter admonendum duxi, sex modis conclusionem uariari. Nunc enim simpliciter concluditur, nunc per ἰσοδυναμίαν. Nunc κατ' ὑπόθεσιν, nunc per contrarium, nunc per id quod conclusionem necessario sequitur. Interdum per schema aliquod Rhetoricum. Simpliciter concluditur cum Dialectico more concluditur, ut quod nihil agit expers uirtutis est. Deus Epicureorum nihil agit. Ergo Deus Epicureorum expers uirtutis est. Hæc conclusio simpliciter illata per ἰσοδυναμίαν hoc modo uariatur. Ergo numen Epicureorum nullis honestatis actionibus claret. Per hypothesin sic. Quicquid in certum finem fertur prouidentia gubernatur. Mundus in certum finem fertur. Ergo si mundus fertur in certum finem, prouidentia aliqua gubernari eum necesse est. Sed hac concludendi formula potissimum utuntur autores in longioribus & fusius tractatis argumentis. Per contrarium concluditur, quando cum inficiatione contrarium conclusionis ponitur. Vt quicquid in certum finem fertur consilio gubernatur, Mundus in certum finem fertur. Ergo mundus non fortuita temeritate, ut Epicurus somniat, nec Stoica quadam necessitate uoluitur. Per id quod conclusionem necessario

con-

consequitur hoc modo. Quicquid in certum finem fertur consilio gubernatur. At mundus in certum finem fertur. Ergo mundo praeest numen quoddam mente & intellectu praeditum. Per schema Rhetoricum sic. Quod fertur in certum finem, consilio gubernatur. Mundus in certum finem fertur, ergo tu insane Epicure pugnas cum natura et negas hanc pulchritudinem consilio aliquo gubernari? Ita per singula schemata fere conclusionem uariare licet, idq; non tantum in syllogismo, sed etiam in alijs argumentandi formis. Nec parum iuuerit ad inuenienda & tractanda argumenta, in his sex concludendi formis se exercere. Vtuntur et Rhetores idq; saepißime praepostero syllogismo seu Epichiremate, quale est illud Socraticum, firmiter sensum esse aliquem post hanc uitam mortuis statuo, Sic sapientißimi quiq; sibi persuaserunt, quorum sententiae uerae sunt & probandae. Primo loco hic ponitur conclusio. Secundo minor. Tertio maior. In oratione Demosthenis secunda Olynthiaca, tale huius formae exemplum habes. Si quis existimet Philippum uiolentia illa, qua loca, portus & huiusmodi inuadit imperium obtenturum esse, haud leuiter errat. Quando enim beneuolentia res constituuntur ac laborum socijs non desunt sua praemia, homines in officio retinentur. Verum cum malitiose & auare & uiolenter aliquis rem gerit, leue erratum omnia labefactat & dissoluit.

Non est enim ò uiri Athenienses, quod existimetis quenquam, qui periurio, iniuria, et mendacio res gerit, firmum stabileq; habiturum regnum. Quemadmodum enim in nauigijs alijsq; ædificijs accidit, quod si firma sint futura, firmamentum firmum habeant, quod si non habuerint, cito ruitura sunt. Sic etiam actionum principia & causas ueras & firmas esse oportet, id quod nequaquam in rebus quæ à Philippo geruntur perspicitur. Hic primo loco conclusio ponitur. Secundo antithesis maioris. Tertio minor. Quarto maior repetitur per attentionem. Quinto confirmatio maioris. Sexto loco minor ponitur. Est & hoc dignum obseruatione, syllogismos plures apud Oratores sibi mutuo implicari & intertexi, quod fit ubi duo uel plures syllogismi simul adhibentur ad idem probandum. In Tertio paradoxo Ciceronis, pulchrum huius rei exemplum extat, quod adscribam et partes numeris distinguam. 1. Nemo potest non beatißimus esse, qui est totus aptus ex sese, quiq; in se uno sua ponit omnia. 2. Cui autem Spes omnis & ratio, et cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi, nihilq; quod exploratum habeat permansurum sibi ne unum quidem diem, eum tu hominem terreto, si quem eris nactus istiusmodi mortis aut exilij minis. 3. Mihi uero quia quicquid acciderit in tam ingrata ciuitate, ne recusanti quidem euenerit non modo non repugnanti. 4. Quid

enim

enim ego laboraui, aut quid egi, aut in quo euigilauerunt curæ & cogitationes meæ? Siquidem nihil peperi tale nihil consecutus sum ut in eo statu essem, quem neq; fortunæ temeritas, neq; inimicorum labefactaret iniuria. Mortem ne mihi minitaris, ut omnino ab hominibus, an exilium ut ab improbis demigrandum sit. Mors terribilis est his quorum cum uita omnia extinguuntur, non his quorum laus emori non potest. Exilium autem terribile ijs, quibus quasi circumscriptus est habitandi locis, non his qui omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt. 5. Hæ miseriæ, hæ ærumnæ premunt omnes, qui te beatum, qui te florentem putas, tuæ libidines te torquent, tu dies noctesq; cruciaris, cui nec satis quod est, & id ipsum quod habes ne non diuturnum sit futurum times, te conscientæ Stimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimat iudiciorum atq; legum, quocunq; aspexisti ut furiæ, sic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, quæ te respirare non sinunt. 6. Quamobrem ut improbo, stulto & inerti nemini bene esse potest, Sic bonus uir & sapiens, & fortis miser esse non potest. Hæc Cicero, facilis erit resolutio cognitionis propositionibus probandis, quæ sunt hæ duæ: Prior sapiens & bonus est beatus, & improbus est miser. Primo loco ponitur maior primæ. Secundo maior secundæ. Tertio loco minor primæ. Quarto eiusdem probatio amplificata per distributionem.

Hoc loco meminiſſe oportet quemadmodum & Agricola monet, ſæpe Oratores pro Vniuerſalibus propoſitionib. ponere ſingulares, ut ſic magis uulgi aures & animos oratio feriat. Dialecticus hic dixiſſet, Sapiens & probus totus aptus ex ſeſe eſt, & in ſe uno ſua ponit omnia, Sed Cicero ſingularem quæ ex hac uidebatur ſequi, ponere maluit. Quinto loco pro minore ſecundæ quæ eſſet hæc: Stultus & improbus omnia in rebus fortunæ ponit, ponitur eiuſdem probatio per diſtributionem, Vbi etiam ſingulares propoſitiones, pro uniuerſalibus ponuntur. Sexto. Concluſio ſecundi Syllogiſmi primo loco. Primi uero ſecundo collocatur, & ambæ per collationem inferuntur. Hoc genus Epichirematum, quemadmodum & aliæ argumentorum formæ, ſæpe per ſubiectionem uariatur & exornatur. Eſt & forma argumentandi Oratoria, quæ collectio uocatur, hæc rationibus & expolitionibus conſtat, quæ in quinq; partes diſtributa eſt, propoſitionem, rationem unam pluresue, rationis confirmationem, unam uel plures. Expolitionem unam pluresue. Propoſitio hoc loco eſt quæſtio probanda, Cum enim primo loco ponitur, propoſitio dicitur, cum concluditur, concluſio, Ratio, uel minor ſyllogiſmi erit, uel maior. Confirmatio erit præmiſſæ maioris uel minoris probatio. Expolitio ſchemate ornat & locupletat rationem, et interdum alicuius præmiſſæ uim habet, ſit tale exemplum.

emplum. 1.Fugiendum est ocium. 2.Est enim tur-
pis uacatio à rebus gerendis. 3. Mors & uiui ho-
minis sepultura, immo omnium malorum sentina
peßima, homines ab officio auocans. 4.Quod est
totius reipub. perniciosißima pestis. Vbi enim ocio
indulgent magistratus, non potest nisi peßime ad-
ministrari Respub. negliguntur leges, cessat cura
ærarij publici, non fiunt iudicia, non corriguntur
malefacta, contemnuntur studia, corruunt urbes.
Breuiter uniuersa Respub. funditus euertitur, ubi
in ocio uiuit uulgus, ibi plane ex libidine uiuitur,
uitia perpetrantur, cædes, rapinæ, latrocinia, do-
nec ex ocio tota respub. euersa iacet, nemine opem
supplicij ferente: Contra uero optime ea constitu-
ta est Respub. ubi suo quisq; officio fungitur. Ma-
gistratus curat obseruari leges, populus obtempe-
rat, uigent honesta studia & moribus uiuitur opti-
mis. 6. Quemadmodum enim ager si ociosus iacet,
non solum nullum producit frugem utilem, sed
præter tribulos & urendam filicem producit ni-
hil. Sic fieri non poßit quin humanus animus uel
præstantißimus ex ocio fiat peßimus. 7. Scipio
Aphricanus uir prudentißimus ne unquam indul-
geret ocio tantillum, maluit lapillos in ripis colli-
gere, quam nihil agere. Apud Athenienses erat
capitale ocium, cogebanturq; ciues ocij sui publi-
cam reddere rationem. Apud Ouidium legis Egi-
stum factum adulterum ex ocio. 8. Marci proinde

Varronis ſententia uidetur mihi in primis laudanda, qua docet nihil agendo homines diſcere male agere. In hac collectione primo loco ponitur propoſitio. 2. Ratio. 3. Confirmatio. 4. Exornatio ſeu noua quædam argumentatio. 5. Alia exornatio, & argumentum à contrarijs. 6. Exornatio à ſimili. 7. Exornatio per hiſtorias & exempla. 8, Autoritates & χρεῖαι.

Eſt & obſeruanda enumeratio Rhetorica duplex, quam Dialectici inductionem uocant. Prima eius forma eſt, cum ſummam rei proponimus hoc modo. Tres ſunt res quæ homines inuniuerſum ad maleficia ſolent impellere Auaritia, Ambitus, & Luxuria. Hic Roſcius minime fuit auarus, nulla ambitus indicia in eo relucebant. Non poteſt igitur maleficium Roſcio imputari. Alia forma à dialectica inductione non differt, quare exempla omitto. Vtuntur & Oratores complexione, quæ eſt ut dicunt bicorne argumentum, uehemens ſane argumentationis ſpecies, quæ utrinq; aduerſarium ſternit alterutrum ſiue firmauerit, ſiue negauerit. Demoſthenes contra Eſchynem hac uſus eſt complexione. Sciuiſti quod erat futurum, aut neſciuiſti. Si ſciuiſti in culpa es, quod non admonuiſti. Si neſciuiſti, cur nos ignorantiæ condemnas. Hæc quia ſemper conſtare debet, ſi erit firma ex contrarijs immediatis, facile reuocabitur ad duos ſyllogiſmos. Submiſſione utuntur etiam Oratores, in

qua

qua quis à se ipso petit rationem, quare unumquodq; dicatur. Vt Maiores nostri magnam Oratoriæ operam dare uoluerunt. 2. Quid ita? quod intellexerunt ea studia omnium summe esse appetenda. 3. Cur id? quoniam per ea tanto plus alijs hominibus præstamus, quanto homines brutis. 4. Qui hoc? quod nihil habent ingenia in hominibus constans, nisi ea doctrina & arte excolantur. 5. At quid ita? Nam cum Oratorum præceptis quibuscunq; rebus ordo detur, fit ut ingenia ad ordinem composita, nihil tumultuarum, nihil præceps, nihil confusum præruptum, hians, nihil intempestiuum producant. Primo loco hic ponitur propositio probanda. 2. Eius probatio. 3. Rationis confirmatio. 4. confirmationis ratio. 5. Huius rationis probatio. Vnde facile est Dialectico quatuor Enthymemata constituere, eaq; ad syllogismorum normam exigere. Sunt & aliæ Oratorum argumentandi formæ, quas omitto, quia ex his quæ dicta sunt facile iudicari possunt. His itaq; argumentationum formis cognitis, et regulas quas supra tradidi, ubi accesserit lectio frequens, & Styli exercitium, facile erit Rhetorica argumenta ad suos fontes reuocare, atq; quæstioni propositæ accommodare. Quomodo autem argumenta inuenta sint reddenda suis locis docet Rodolphus lib. 2. de Inuentione cap. 26. Vnde studiosi ea quæ huc spectant, sumant. Quantum ad iudicium atti-

net ubi forma argumenti proposita fuerit, ars primum consulenda est, unde quæstio sumpta est. Deinde uidendum an ex firmis aliquibus artis principijs, uel ex Hypothesibus conclusis ex principijs propositio probans sit sumpta. Si non fuerit inde sumpta, uidendum ad aliquid absurdi sequatur si concedatur quæstio, & rursus si quid commodi. Deinde iudicandum est etiam an propositiones instituuntur iuxta Dialectices præcepta, quæ præcepta sunt uiæ iudicandæ, probandæ & improbandæ quæstionis.

DE TERTIO MEMBRO.

Postquam de formis interpretationis breuissime dictum est, ordo postulat, ut uia examinandi ea quæ tradita sunt, aperiatur. Constituatur ergo Triplex examen. Grammaticum, Dialecticum & Rhetoricum. Grammaticum rursus tripartitum esto. Vnum singularum dictionum. Alterum orationis seu constructionis. Postremum phraseos seu linguæ. In examine dictionis duplex adhibenda est consideratio, uocis, nimirum & significationis. In uoce spectanda sunt omnia quæ Ortographiam, Ætymologiam & Prosodiam attingunt. In significatione utrum naturalis sit significatio, uel non naturalis, utrum unum pluraue ex æquo significet. Et si non fuerit naturalis explicanda est ratio deflexionis. In orationis, seu constructionis examine, tantum duæ uoces coniungendæ erunt paulatim

latim, donec tota Oratio complebitur, & quærenda est singularum connexionum ratio. In phraseos examine coniungendæ sunt tot uoces, quot ad integrum sensum requiruntur, ac primum uis phraseos & usus explicandus est. Deinde conferenda est phrasis Græca cum Latina, utraq; cum patria. Hoc triplex examen ita adhibendum iudicio, ut non eadem præcepta quotidie repetantur, sed ut singulis mensibus uniuersæ Grammatices examen absolui poßit. Ac utilißimum iudicarem si Pedotribæ singulis septimanis pueris, qui paululum in Grammatica promouerunt, orationem aliquam uariandam, iuxta Erasmi præscripta proponerent.

Dialecticum examen duplex est. Vnum præceptorum artis, quæ eo ordine examinanda sunt quo traduntur. Alterum est cum Dialectica alijs rebus seu artibus adhibetur arbitra, ubi examen instituendum est iuxta præscriptum superiorum Methodorum.

Rhetoricum examen, quod est uerborum & rerum, petendum est ex Methodo Rhetorica, de qua ubi prius dixero de quarto membro, præcepta tradam.

DE QVARTO MEMBRO.

Cum ipsa ars Dialectica rerum ordinem con-

templatur & seriem, nulla erit uia facilior ediscendi, quam si eundem ordinem sequaris. Puer igitur uolens aliquid ediscere. Primum omnium rem bene intelligat. Deinde partes rei numeret, primum maiores. Deinde minores. Tertio loco ordinem partium diligenter inspiciat. Quarto animaduertat exornationes rerum. Hoc ubi fecerit puer, plus quam dimidiam laboris partem se absoluisse sciat, qui contra faciunt se miserè citra magnam frugem torquent. Postquam autem hoc præscriptum sequutus fuerit puer, in rebus cognoscendis, accingat se ad ediscendum iuxta dispositionis ordinem. Oratio Iunonis ad Æolum in primo Æneidos sit nobis exemplum, ut in facilioribus uia monstrata, in difficilioribus quoq; spes sit.

Æole (namq; tibi diuũ pater atq; hominũ rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere uentos)
Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor
Illum in Italiam portans, uictosq; penates.
Incute uim uentis submersasq; obrue puppes:
Aut age diuersas, & disijce corpora ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ
Quarum, quæ forma pulcherrima Deiopeiam
Connubio iungam stabili, propriamq; Dicabo
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.

Hos undecim uersiculos primum intelligat puer, ut poßit rem comprehensione quadam sum-

maria

maria complecti. Deinde partes numeret, quæ sunt quatuor. Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, partiumq; locos obseruet. Tertio loco ordinem primum recondat in mentem, quod est facile, cum sit hic naturalis ordo seruatus, Primo enim loco Exordium. 2. Narratio. 3. Propositio. 4. Confirmatio collocatur.

Postremo loco attendat exornationes, quæ hic sunt ferè nullæ, præter propositionis repetitionem & uehementiam. Hoc ubi sciet puer, primum ediscat duos primos uersus, in quibus absoluitur exordium, prima orationis pars. Deinde duos proximos tertium & quartum, continentes narrationem, quæ est secunda orationis pars. Tertio ediscat quintum & sextum uersus continentes propositionem tertiam orationis partem. Vltimo loco ediscat reliquos quinq;, qui ad confirmationem quartam orationis partem spectant. Hanc uiam sequantur pueri in omnibus alijs scriptis. Verum maturiores, quibus est maior rerum cura quam uerborum, illas maiores partes obseruent, & experientur se nullo alio artis memoratiuæ adminiculo indigere, Si fuerit prolixior, partes uel numeris uel literis notentur, & postea tanquam depositum repetatur à singulis literis quod illis erat commendatum. Iuuat et hoc in primis memoriam, si quotidie aliquid ediscas, & illud mox sequenti die à teipso reposcas.

DE METHODO RHETORICA.

Perſequi Vniuerſam Methodum Rhetoricam nimis longum eſſet, quare de Methodo ſingularum partium Orationis Rhetoricæ pauca quædam præcepta colligam. Sunt autem Orationis Rhetoricæ partes, Exordium, Narratio, Diuiſio ſeu Propoſitio, Confirmatio, Confutatio & Peroratio. Quantum autem ad totius orationis corpus attinet is ſeruabitur ordo partium, quem enumeratio poſita monſtrat. Iſte enim ordo naturalis eſt, Interdum tamen hic ordo mutatur. Cum cauſæ neceſſitas mutationem efflagitare uidetur.

DE METHODO EXORDII.

Omne exordium ex quatuor maxime componi uidetur. Expoſitione, ratione, redditione & Comprobatione. Expoſitio hoc loco eſt oratio, quæ cum ab aliquo eorum locorum, qui ad inuentionem pertinent inueniatur, aut docilem aut beneuolum, aut attentum facit auditorem. Ratio eſt oratio accommodata expoſitioni, per quam id quod expoſitum eſt, facile confirmatur, & totius rei aperta propoſitio. Comprobatio eſt redditionis cauſa, quæ quidem rem totam manifeſtius tangit. Verum hic ſcire oportet, ꝙ autores interdum non ſunt contenti una expoſitione, nec una ratione

redditione et comprobatione, ſed interdum plures adhibent. Vt autem hæc uniuerſa res clarius intelligatur, Exordium Ciceronis pro Marco Marcello ſubiungam, parteſq; enumeratas, oſtendam.

1. Diuturni ſilentij patres conſcripti, quo eram his temporibus uſus, non timore aliquo, ſed partim dolore, partim uerecundia finem hodiernus dies attulit, idemq; initium qua uellem quæq; ſentirem meo priſtino more dicendi. 2. Tantam enim magnitudinem, tam inuſitatam inauditamq; clementiam, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium, modum, tam deniq; incredibilem ſapientiam, ac pene diuinam tacitus præterire nullo modo poſſum. Marco enim Marcello uobis patres conſcripti Reipub. redditio, non ſolum illius, ſed etiam uocem meam & autoritatem uobis & Reipub. conſeruatam & reſtitutam puto. 3. Dolebam enim patres conſcripti, & uehementer angebar cum uiderem uirum talem, qui in eadem cauſa, in qua ego, fuiſſet, non in eadem eſſe fortuna, nec mihi perſuadere poteram, nec fas eſſe ducebam, uerſari me in ueſtro ueteri curriculo, illo æmulo ac imitatore ſtudiorum noſtrorum, atque laborum quaſi quodam ſocio à me & comite diſtracto. 4. Ergo & mihi & priſtinæ uitæ conſuetudinem Cæſar interclusam aperuiſti, & his omnibus bene de Repub. ſperandum, quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti. 5. Intellectum enim mihi quidem in multis,

&

& maxime in me ipſo, & paulo ante in omnibus cum M. Marcellum *Senatui* Reipub: *conceßiſti, commemoratis præſertim offenſionibus, te autoritatem huius ordinis, dignitatemq; Reipub: tuis uel doloribus, uel ſuſpicionibus anteferre.* Hic primo loco ponitur Expoſitio ſenſu quidem multiplex, Compoſitione orationis omnimo ſimplex. 2. Ponuntur rationes expoſitionis. 3. Adijciuntur rationes, quibus uerecundiam & dolorem ſilentij fuiſſe cauſam oſtendit. 4. Loco ſequitur redditio, expoſitioni & primæ rationi accommodatior, & totius cauſæ, in qua de laudibus agitur Cæſaris apertißima expoſitio. 5. Loco ſequitur redditionis Comprobatio. Hanc Methodum obſeruat Cicero etiam in alijs exordijs, ſed ſæpe membra aureo uerborum flumine ita obruuntur, ut uix niſi ualde attentis appareant. Porrò præter hæc quæ ad partes Exordiorum pertinent, alia quatuor quæ ad materiam & formam ſpectant conſideranda ſunt. 1. Exordium monſtret finem, cuius gratia oratio habeatur. 2. Ducenda ſunt exordia non ex his quæ cauſam confirmant, aut rem de qua quæritur, ſed ex ijs, quæ circa res perſonaſque poſita ſunt. 3. Exordia debent eſſe breuia, perſpicua & accommodata cauſæ. 4. Exordium ita perfici debet, ut initio narrationis cohæreat.

METHODVS NARRATIONIS.

In narratione quinq; sunt obseruanda. Primum quæ narrationis elementa. 2. Quæ formæ. 3. Quotuplex ordo. 4. Quæ optimæ narrationis uirtutes. 5. Quæ destruendæ falsæ narrationis uia. De elementis narrationis supra in secundo membro Methodi Exegeticæ dictum est.

DE FORMIS NARRATIONIS.

Narrationum alia est absoluta, alia deficiens. De qua distinctione supra dictum est. Secunda diuisio. Narrationum alia est poëtica, quæ habet expositionem fictam, Alia historica, quæ habet expositionem rerum uetustam. Alia politica uel Oratoria, qua oratores utuntur. Tertia diuisio, Alia simplex, cum nihil adhibetur quo fides fiat auditori. Alia argumentosa, cum singularum rerum quæ narrantur, confirmationes adijciuntur.

DE ORDINE NARRATIONIS.

Duplex est narrandi ordo. Naturalis cum rerum gestarum seriem, & tempora sequimur. Hic historijs & ciuili narrationi accommodatior est. Alius superiori contrarius est, cum à posterioribus ad priora ascendimus, Estq; hic ordo Poëtis familiarior.

DE VIRTVTIBVS NARRATIONIS.

Rhetores tres bonæ narrationis uirtutes numerant. 1. Vt sit aperta. 2. Vt sit breuis. 3. Vt sit probabilis narratio. Extrema duo semper habere debet Narratio, Medium in genere demonstratiuo, & suasorio interdum locum non habet. Sæpe enim altius petenda narratio, & dilatanda per antecedentia, coniuncta et consequentia, quemadmodum Erasmus monet in posteriori Commentario Copiarum.

Deinde & hæc bonæ narrationis uirtus esse debet, ut fini exordij, & initio propositionis seu diuisionis extremis cohæreat.

DE VIA DESTRVENDÆ NARRATIONIS FALSÆ.

Destructurus narrationem, elementa supra enumerata inspicito, eaq; quæ illis adiuncta sunt, quorum si unum uel impoßibile, uel falsum ostenderis, narratio euersa est.

METHODVS DIVISIONIS SEV PROPOSITIONIS.

In diuisione, hoc est oratione per quam quibus de rebus dicturi sumus breuiter exponimus, quatuor obseruanda sunt. Primum unde colligenda sit

diuiſio. Deinde genera diuiſionis. Tum modus diuiſionis, poſtremo partium diuiſionis.

DE COLLIGENDA DIVISIONE.

Quia narratio continua probationis propoſitio eſt, ex narratione certa colligenda eſt ſententia, quæ eſt probanda. Nam Rhetores narrationi diuiſionem ſubijciunt, quæ eorum de quibus dicturi ſunt propoſitio eſt. Vt in oratione pro lege Manilia hæc diuiſio colligitur ex narratione: Primum mihi uidetur de genere belli, deinde de magnitudine. Tum de imperatore eligendo, eſſe dicendum.

DE GENERIBVS DIVISIONIS.

Alia diuiſio fit per ſeiunctionem, qua ſic exponimus quid nobis conuenit cum aduerſario, ut quid in controuerſia ſit ſeiungatur hoc modo. Cultum Deo præſtandum eſſe conuenit nobis cum Papiſtis, ſed an ſit colendus humanis ritibus in controuerſia eſt. Alia per diſtributionem, qua exponimus quibus de rebus dicturi ſumus, qualis eſt illa quam modo adduxi ex Cicerone.

DE MODO DIVISIONIS.

Hic obſeruandum eſt, tria eſſe, quæ debeat habere laudanda diuiſio, breuitatem, abſolutionem et paucitatem. Breuitas facit ut nullum niſi neceſ-

ſarium

ſarium uerbum aſſumatur. Abſolutio ut omnia quæ in cauſam incidunt genera complectatur. Paucitas ut genera ſolum rerum, de quibus dicturi ſumus ponantur, quæ genera ſuis locis inter dicendum ſunt arte diuidenda, quemadmodum præſcriptum eſt in Methodo diuiſiua. Breuitas rurſus iuuat memoriam auditorum, placetq; ſummis Oratoribus, ut quatuor membra non excedat. Deinde & hoc obſeruandum eſt, quod oporteat ita in omni genere diuidere, ut ex unoquoq; diuiſionis membro, uel ipſe finis orationis, uel quæ finem conſequantur palam appareant, uel ex omnibus diuiſionis partibus quod intendimus concludatur, niſi hoc impediat diuerſarum rerum concurſus in eadem oratione.

DE ORDINE PARTIVM DIVISIONIS.

Si membra diuiſionis fontibus diſcreta ſunt, nihil refert quo ordine collocentur. Verum ſi ad eundem finem membra diuiſionis pertinent, generalia prioribus locis ſunt collocanda, id quod ſemper obſeruaſſe Ciceronem monet TraPezontius. Breuiter uel conſequentiæ rerum, uel temporis ordo obſeruandus eſt.

METHODVS CONFIRMATIONIS.

Re

Re propoſita, loci Dialectici conſulendi ſunt, quemadmodum in probabili Methodo fuſius explicatum eſt. Deinde delectus habendus eſt, ut ea quæ plus uirium habent, præcipue notentur. Tertia cura eſt diſpoſitionis argumentorum, in qua diſpoſitione hic ordo placet Oratoribus. Vt primo & ultimo loco collocentur firmiora, in medio quæ numero potius quam pondere ualeant. Deinde prudentia adhibenda eſt, ut ita argumenta diſtribuantur, ut ab uno ad aliud facilis ſit tranſitus, quo ipſa oratio continuis quaſi neruis cohæreat. Vtile & hoc interdum fuerit facta diuiſione & initio tractationis membrorum, ſingulis membris congeriem quandam rationum ſubiungere per enumerationem, et poſtea per eaſdem rationes, ut in enumeratione propoſitæ fuerint pertractare, quemadmodum Cicero in Oratione pro lege Manilia fecit. At ubi non placet exponere hanc argumentorum congeriem, licebit ordine unam principalem rationem poſt aliam pertractare, ita tamen ut firmiores in prima & extrema collocentur acie, ut ſupra monui.





METHODVS CONFVTATIONIS.

Iuſtæ confutationis quatuor ſunt partes, Propoſitio, Sublatio, Oppoſita propoſitio, Solutio. Pro

positio est sublationis pollicitatio. Sublatio est ipsa aduersariorum propositio. Opposita propositio est solutionis pollicitatio. Solutio est confirmatio τῆς ἀντιπρωτάσεως. Erasmus tale exemplum dedit. 1. Nec me clam est quid callidissimus senex calumnietur. 2. Non debuisse me contra pactionem decedere. 3. Verum id quam friuolum sit, non est difficile ostendere. 4 Ridicule enim mihi pactionem allegat, quam ipse prior soluit. Numerus ostendit membra confutationis. Est & hoc in confutatione obseruatu dignum, quod monet Trapezontius solutionem debere fieri uel per uiolationem seu uniuersionem, uel per inficiationem, uel per instantiam, uel per uiolentiam & instantiam simul.

METHODVS PERORATIONIS.

Iusta Peroratio constat tribus partibus. Repetitione principalium argumentationum, amplificatione & affectibus. Exempla paßim in orationibus Ciceronis occurrunt.



ECCLESIASTES SIVE METHODVS CONCIONATORIA, AVTORE NICOLAO HEMMINGIO.

PRAEFATIO IN LIBRUM Secundum.



RTIFICEM OMnem instructum esse oportet præceptis, quorum admonitione regatur & mens & manus in agendo. Nam tametsi sæpe accidit rudes artium aliquid simile artificibus facere: tamen & certius & expeditius agit artifex, ut qui causas cur ita agat cernat, ac εἰδίαν quandam operis apud animum constituat, antequam manum operi adhibeat. Huc facit quod sagax natura ad operis cuiusque absolutionem requirat δύναμιν, ἕξιν ἐνέργείαν, ἔργον. δύναμις enim facit, ut assuefieri possit. ἕξις præceptis gubernatur, & crebris actionibus absolui-

tur. χειρουργεία regitur habitu, unde quartum
emergit opus, hoc eſt τὸ ἔργον. Ad eundem
modum qui Theologus futurus eſt, in-
ſtructus eſſe debet præceptis monſtran-
tibus certam rationem tradendi & diſcen-
di dogmata, quorum uſus mentem & ui-
tam in pietate conſeruet. Longe enim
falluntur illi, qui iſti intolerabili contume-
lia ſacrum Dei uerbum afficiunt, quaſi ci-
tra omnem rationem & ordinem in eo om
nia miſceantur. Cum tamen in omnibus
rebus à Deo conditis admirabilem quan-
dam œconomiam & ordinem conſpiciant.
Siue enim ſurſum oculos tollant, ſiue deor-
ſum deſpiciant, omnia uident ornatiſſima,
quicquid eſt confuſionis & ataxiæ, id to-
tum ex malicia & peruicacia diaboli & ho
minum proueniſſe certum eſt. Quare ut in
omnibus rebus à Deo conditis ordinem ui
demus pulcherrimum, ita etiam in ſacra
Theologia eundem eſſe nequaquam dubi-
tandum eſt, quem qui obſeruat, multo cele
rius ad frugem perueniet, quam qui confu-
ſe omnia miſcet & confundit. Porrò hæc
ordinis obſeruandi ratio, aptiſſima Meta-
phora Methodus dicitur. Quemadmodum
enim qui uiam certiſſimam ſequitur, facili-
us peruenit quod uult, quam is qui per a-
quas

quas, montes, ſaltus, præcipitia, magno ac difficili labore eodem contendit. Sic ueluti in reliquis ſcientijs, ita & in Theologia citius peritiam conſequetur qui Methodum tenet, quã quimagno labore citra ordinis rationem in lectione Bibliorum defatigatur, ut interim taceam huiuſcemodi labori maximum faſtidium cõiunctum eſſe. Cum contra amans ordinis, ſumma cum uoluptate idem faciat. Hinc eſt quod non inepte ueteres definiant Methodum certam tradendarum rerum rationem & uiam, qua celerrime ad peritiam deueniatur.

Quapropter conſtitui Methodum Theologicam conſcribere, in qua rationem & interpretandi ſcripturam, & formandi ſacras conciones complectar, quorum prius faciet, ut facilius alios interpretes intelligamus, & ipſi interpretandi formas teneamus quas ſequi utile erit. Poſterius uero, ut citra garrulitatem, dextrè & copioſe de re propoſita diſſerere in cœtu Eccleſiaſtico ualeamus.

Verum priuſquam ad has partes explicandas accedam, operæprecium fore iudico, paucis uniuerſæ ſcripturæ Eccleſiæ diuiſiones quaſdam recenſere, ut cum partes ſcripturæ obſeruentur facilius, tum uſus

ſingularum partium in interpretandi formis ac concionibus conſpiciatur apertius.

DIVISIO SACRAE SCRIPTVRÆ.

Diuiſio ſacræ ſcripturæ alia ab alijs autoribus traditur, neq; id abſurdum cuiquam uideri debet. Nam & earundem rerum interdum plures ſunt differentiæ, pro quarum diuerſitate diſcrimina diuiſionum ſumi poſſunt, et autores diuiſionum formas conſtituere tales conſueuerunt, quæ ſuo propoſito potiſſimum ſeruire uidentur. Quare cum uarie diuidatur ſcriptura, ordine recitabo præcipuas ſcripturæ diuiſiones, & earum uſum ſubijciam, quo conſpiciatur huius uarietatis utilitas.

DIVISIO PRIMA.

Vulgatiſſima ſcripturæ diuiſio hæc eſt, quod in uetus & nouum inſtrumenta diuidatur, quæ coniuncta Græcā appellatione Biblia nominantur, idque κατ᾽ ἐξοχὴν, ſiue Antonomaſian. Hæc Biblia ideo inſtrumenta dicuntur, quia ſunt organa quædam per quæ diuina uoluntas, ſeu uerbum Dei nobis adfertur & innoteſcit. Epitheta uetus & nouum à circumſtantijs temporum deſumpta ſunt. Vetus quidem quod prius erat tempore, Nouum uero quod poſterius. Verum ſi quis à fœderum diuerſi-

uerſi-

uerſitate hoc diſcrimen deſumptum exiſtimat, non magnopere refert, prior tamen ratio uerior eſt & accommodatior. Cæterum qui ueteris & noui Teſtamenti appellationes libris accommodant, καταχρηστικῶς uoce Teſtamenti utuntur.

SVBDIVISIO.

Vetus inſtrumentū à Iudæis dicitur ועשרים ארבעת idq; à numero librorum, Nam 24. inabitatæ autoritatis recipiunt libros, quos in quatuor partes, ſiue claſſes digerunt. Quarum prima ab illis תורה id eſt Lex ſeu doctrina dicitur & continet libros quinq;, nimirum Geneſin, Exodum, Leuiticum, Numeros & Deuteronomion, quos ſimul Græci πεντάτευχον nominant. Secunda pars ab his ראשנים נבאים id eſt Prophetæ priores, & hæc pars quatuor libris nimirum. Ioſue, Iudicum, Samuelis, & Regum abſoluitur.

Tertia pars eſt אחרנים נבאים id eſt Prophetarum poſteriorum, & continet quatuor libros Eſaiam, Ieremiam, Ezechielem & librum duodecim Prophetarum, quos minores appellant, ut ſunt Oſee, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Baruch, Sophonias, Hageus, Zacharias, Malachias, Quarta pars eſt כתובים id eſt ſcriptorum Hagiographorum, & continet

undecim libros Paralipomena, Psalterium, Prouerbia Salomonis, Iob, Ruth, Ecclesiasten, Threnos, Ieremiæ, Canticum Canticorum, Esther, Daniel, Esdram & Nehemiam, quorum postremi duo pro uno reputantur. Atq; ita habemus libros ueteris instrumenti indubitatæ autoritatis 24. in quatuor classes digestos. Cæterum præter hos libros habent ἀπόκρυφα, ut uocant, id est secreta seu abscondita, ideo sic dicta, quia non producebantur in lucem ad confirmanda dogmata. Huius generis sunt Iesus Syrach, Iudith, Tobias, libri Maccabæorum, Sapientia Salomonis, Baruch, Ieremiæ scriba. Atq; hæc ueteris instrumenti iuxta Hæbræos & Græcos diuisio est. Nouum autem instrumentum diuiditur in quatuor partes. Prima continet 4. Euangelistas. Secunda Acta Apostolica. Tertia uiginti unam Epistolas Apostolorum. Pauli 14. Ioannis 3. Petri 2 Iacobi unam & Iudæ unam. Quarta pars, Apocalypsin Ioannis. Porrò omnes hi noui instrumenti libri in Canone sunt præter Epistolas, secundam Petri, secundam & tertiam Ioannis, & Epistolas Iacobi & Iudæ cum Apocalypsi, Nonnulli etiam Epistolam ad Hebræos extra Canonem ponunt. Iam pauca adijcienda uidentur de usu memoratæ distinctionis. Parum enim prodest accurate distinguere, nisi quid inde capias utilitatis animaduertas. Prodest igitur Primum hæc distinctio, ad recte iudicandum de sacrorum uoluminum

minum autoritate. Omnes enim ueteris & noui inſtrumenti libri indubitatæ ſunt fidei, adeoq; ualent ad confirmanda dogmata, præter ea quæ dixi appellari ἀπόκρυφα, quæ quidem, cum fructu legi poſſunt, ſed in diſputationibus de dogmatibus non ſunt adhibenda. Soli enim illi libri indubitatæ ſunt autoritatis, qui Moſi, Prophetis, Euangeliſtis, Apoſtolis uere tribuuntur. Quare cum de autoribus Apocryphorum dubitauit primitiua & purior Eccleſia, recte reijciuntur, quando aduerſus ſcripta Prophetica & Apoſtolica producuntur ab aduerſarijs. Eſt & alia utilitas huius diſtinctionis. Prodeſt enim ordinem habere certum, ut ſtudioſi partiri poſſunt lectionem Bibliorum in certa tempora, prout commodum ipſis ad libros ſacros diſcendos uideatur.

Tertia utilitas eſt, ut ratio certa haberi poßit (ſiue concioneris, ſiue in ſcholis ſacra ſcripta interpreteris) citandi ſiue allegandi teſtimonia ſcripturæ, ut locus teſtimonij quaſi digito monſtretur, nominato autore ſcripti, & capite libri.

SECVNDA DIVISIO.

Scholaſtici Theologi cum ueteris tum noui inſtrumenti libros ſecant in legales, Hiſtoricos, Sapientiales & Propheticos, ut ueteris inſtrumenti Legales, ſint quinq; Moſi libri, Hiſtorici libri Io-

ſue, Iudicum, Ruth, libri Regum quatuor, Iob, Maccabæorum libri duo. Sapientiales, Pſalterium, Prouerbia Eccleſiaſtes, Canticũ Canticorũ, Sapientia, Eccleſiaſticus. Prophetici 17. Prophetæ ſupra enumerati. Ad hunc quoq; modũ, ut magis illorum inſcitia appareat, noui inſtrumenti libros diuidunt, ut legales ſint quatuor Euangeliſtarum libri, Hiſtorialis ſit liber Actorum Apoſtolorum, Sapientiales ſunt Epiſtolæ Apoſtolorum 21. Prophetialis ſit Apocalypſis Ioannis. Hæc diuiſio nullo colore excuſari poteſt. Eſt enim prorſus abſurda, quatenus libris ab ipſis accommodatur, Verum ſi rebus accommodarent hanc ſuam ſubtilem diuiſionem, quemadmodum ueteres feciſſe exiſtimo, toleranda forte eſſet, Sed quia manifeſte falſa eſt prout libris accommodatur, nolo in re aperta longiorem confutationem inſtituere.

Porrò uſus huius diuiſionis prout rebus accommodatur fortaßis hic eſſe poterit, ut diſcentes inter legendum, prudenter inter hiſtorias, leges et prophetias & ſapienter dicta diſcernant.

TERTIA DIVISIO.

Vniuerſa ſcriptura, ſi res ſubiectas conſideres, commodißime diuiditur in hiſtoriam & doctrinam, quæ duo diligens lector ſtudioſe quæret in ſacrorum librorum lectione. Eſt autem hiſtoria duplex, uetus & noua. Vetus quidem continet hiſtorias

ſtorias omnes inde uſq; à principio creationis rerum, uſq; ad conceptionem Domini, ſeu initium Euangelicæ hiſtoriæ. Hæc hiſtoria orditur (ut dixi) quidem à prima rerum conditione, & continuatur uſq; ad Cyri Monarchiam. Poſtea ſequuntur hebdomadæ Danielis, uſq; ad Chriſtum occiſum. Porrò annorum computationem in hos uerſiculos memoriæ gratia redegi, quos ſubijciam.

M.D.C.L.V.I. poſt Adam mundus inundat. 1656.
Poſt undas ad Abram, ducent nonaginta duoq;. 292.
Exodus hūc ſequitur quingētos quinq; per annos. 505
Exodus ad Babylon, nongent decemq; recenſet. 910.
Poſt Babel ad Chriſtum, D. & L. tribus X. datur unus 581.

Hos annos ſi coniunges, habebis ter mille nongentos et quadraginta quatuor annos à conditione rerum uſq; ad Chriſtum exhibitum, quem numerum his uerſibus complecti ſoleo.

Ter mille & nongent, quater X. duo bis numerantur 3944.
Chriſtus adeſt nobis. gloria uita ſalus.

Porrò noua hiſtoria ab Euangeliſtis deſcribitur, hæc de conceptione, natiuitate, circumciſione, oblatione, exilio, diſputatione, baptiſmo, ieiunio, tentatione, doctrina, miraculis, morte, reſurrectione et aſcenſione Chriſti in cœlum, Item de donatione Spiritus ſancti in die Pentecoſtes, & de Eccleſia primitiua & eius perſecutionibus inſtituitur.

Ad

Ad hæc enim capita noua historia reuocabitur. Atq; hactenus de historia.

Doctrina spargitur per omnes libros ueteris & noui instrumenti, & diuiditur in doctrinam rerum & signorum. Rerum deinde doctrina in Legem & Euangelium, Signorum doctrina continet ceremonias & Sacramenta, de quibus copiosius non est hic dicendi locus. Verum usus huius distinctionis non est simplex. Historia enim sacra, speculum uitæ Christianæ esse debet. Nam continet plurima ueræ pietatis, confeßionis, fidei, tolerantiæ, uocationis &c. exempla, recenset præmia & pœnas obedientiæ & inobedientiæ erga Deum, plurima testimonia de Deo continet.

Doctrinæ uero distinctio, facit ne temere cum Papistis Legem & Euangelium confundamus, qui Euangelium nouam legem somniant, sed falluntur. aliud docent Prophetæ & Apostoli, quam Moses, tametsi in modo tradendi maxima est diuersitas. Moses enim doctrinam à Deo & patribus tanquam per manus traditam scriptis commendat, quæ perfectum Dei cultum continet, Sed obscurior est Prophetis, Prophetæ Mosis sunt interpretes. Nam quod Moses quasi aphorismis quibusdam notat, Prophetæ integris concionibus explicant. Sed quia quod Prophetæ prædixerunt, id Apostoli coràm uiderunt, facti sunt Apostoli clariores adhuc, Mosis & prophetarum interpretes. Hoc

discri-

discrimen qui obseruat, maiori cum fructu Mosis, Prophetarum & Apostolorum scripta leget. Quo autem loco sint habendi Apostolorum discipuli, et alij sancti scripturarum interpretes, dicam infra, ubi de formis interpretandi agetur.

QVARTA DIVISIO.

Est & alia diuisio à Græcis tradita minime prætereunda. Verbum enim Dei salutem hominibus adferens, diuiditur in προτρεπτικὸν, γνωστικὸν & πρακτικόν.

Ad προτρεπτικὸν *pertinent hortationes, consolationes, minæ, obiurgationes, quæ omnia sunt incitamenta quædam ad uerbum audiendum, amplectendum eiq; obtemperandum.* γνωστικὸν *cognitionis pars est, quæ cultus Dei, Legis, Euangelij & Sacramentorum scientiam continet, cuius Epitome est* κατήχησις. *Postrema pars ad actionem pertinet. Nam cognitionem sequi oportet obedientiam cordis & uitæ innocentiam, fides enim ut Paulus inquit debet esse* ἀνυπόκριτος & *efficax per charitatem. Hæc diuisio eò pertinet, ut sacræ scripturæ usum scias, hoc est ut hortanti obtemperes, docenti credas, & secundum ea quæ credis agas. Dignus enim (quemadmodum Agapethus inquit) Deo is est, qui nihil indignum Deo agit,*

ſed ſentit quidem quæ Dei *ſunt, loquitur uerò quæ ſentit, & facit quæ loquitur.*

DE FORMIS ENARRATIONVM.

Dicturus de enarrationum formis quatuor ordine expediam, quibus præſidijs inſtructus eſſe debeat futurus utilis interpres, quæ ſint enarrationum cauſæ, quæ interpretandi genera, quiſq; commentariorum uſus.

PRAESIDIA INTERPRETIS.

Quod utilis interpres inſtructus eſſe debeat liberali doctrina, & potiſſimum cognitione artium dicendi, nemo eſt qui dubitare poteſt. Quare ad alia quædam præſidia, quibus cauetur ne interpres à pietate aberret, me conferam. In myſterijs itaque ſacris tractandis, quadruplex potiſſimum cura illi incumbit, qui ſe ab errore liberum, & ab Hæreticorum impoſturis ſecurum eſſe cupit. Prima ſit cura, quærere Deum uoluntatemq; ipſius in ſcriptura cum timore & humilitate, ut ipſum uere agnoſcat in Domino noſtro Ieſu Chriſto. Altera ſit cura, ſacrum Dei uerbum pro regula habere. Hæc cura coniuncta cum ſuperiore faciet ut ſine arrogantia & φιλονεικία in ſcriptura uerſeris, & ne ſtulta temeritate efferaris, ſed potius implores eius opem humiliter, quem in

Scripturis quæris fideliter. Facit & hæc altera cura, ne sis sollicitus de illis quæ non sunt uerbo Domini prodita. Contentus enim esse debes ea luce, quam Dominus sequendam monstrauit. Tertia sit cura, ut diligens accedat scripturarum collatio, ut appareat Mosis, Prophetarum, Christi & Apostolorum consensus, utq; in speciem pugnantes sententiæ, per collationem reconcilientur, diligenter obseruatis locorum circumstantijs. Hæc cura facit, ne temere arripias unam aliquam scripturæ sententiam ad aliam oppugnandam, Vnde omnium Hæreticorum sectas ortas esse non est dubium, quod ut fiat apertius exemplo declarandum est. Arius audit filium dicentem: Pater maior me est, hanc sententiam arripit, & ad expugnandam Christi diuinitatem accingitur. Contra Manichæus, ut humanitatem Christi tollat arripit dictum Pauli 1. Corinth. 15. ubi Christus dicitur secundus Adam, de cœlo cœlestis. Rursus sunt qui diuinitatem agnoscunt & humanitatem fatentur, sed duplicem personam in Christo faciunt λόγον & filium uirginis. Osiander quia scriptum est, Iehoua est iusticia nostra, Iustificationem soli naturæ diuinæ adiudicat, quasi humanitas prorsus nihil faceret ad salutis beneficium. Stancharus contra, quia promißionis uerbum est de Semine mulieris, & Paulus dicit Iesum Christum hominem Mediatorem, subtrahit diuinitati redemptionis benefi-

cium, & soli humanitati attribuit. Hic si adfuisset timor Domini & uera humilitas, & absuisset φιλονεικία & superbia, facile ex collatione scripturarum de hisce mysterijs iudicassent. Quinta sit cura omnem interpretationem ad ἀναλογίαν fidei referre, à qua si discrepat interpretatio, falsa iudicabitur. Contra si cum ea conuenit, etiamsi interdum à scopo et mente autoris erratur, tamen extra salutis periculum id fieri sciendum est. Sed quid est interpretationem ad ἀναλογίαν fidei reuocare? Est eam instituere, ut respondeat fidei primis axiomatis, utq; ex illis quasi extructa esse uideatur. Illa enim secundum ἀναλογίαν fieri dicuntur, quæ ex comparatione ad aliud fiunt, seu quando alia ex aliorum comparatione formantur. Vnde enim Paulus iubeat ut Prophetia, hoc est interpretatio scripturæ debeat esse Analogia fidei, uult ut interpres respiciat ad religionis prima axiomata, quæ clara & perspicua sunt de lege & promißionibus Euangelij, cum quibus omnis interpretatio conformari debebit. Quare Papistæ in huius dicti (si uis ad uitam ingredi serua mandata) explicatione, ab Analogia fidei discedunt, dum salutem per opera propria homines consequi, ex isto dicto concludunt. Pugnat enim hæc interpretatio cum claris ac perspicuis axiomatis, qualia sunt: Semen mulieris conteret caput serpentis. Item Agnus Dei tollit peccata mundi. Item,

Si

Si ex Lege est iusticia, Christus frustra est mortuus. Atq; in hunc modum semper mens interpretis intenta esse debet in prima nostræ religionis axiomata, à quibus non patietur se auelli ulla Sophistica. Nam qui hanc ἀναλογίαν, fidei interpreti à Paulo commendatam contemnit, & aliunde petit contra fidei regulam interpretationem, is sciat se pœnas diuinitus luiturum. Sicut enim olim sub ueteri Testamento ab igne altaris perpetuo tollendus erat ignis, quo sacrificia cremarentur, ita à perpetuo Dei uerbo pendebit omnis scripturarum interpretatio. Et quemadmodum Nadab & Abiu torribulis suis ignem alienum imponentes, quod illis præceptum non erat, à Domino puniti sunt. Ita Hæretici rationis figmenta & Philosophicas fraudes pro uera religione ingerentes, supplicio digni existimandi sunt. Atq; hæc monuisse de præsidijs interpreti necessarijs satis est, Nunc q̃ secundo loco propositum est exequar.

INTERPRETATIONIS CAVSÆ.

In præfatione locorum Philippi Melanthonis quatuor interpretationũ causæ recitantur, Quarum prima est, ut intelligatur genus sermonis. Nam auditores siue lectores non ubiq; intelligunt phrases alienæ linguæ, imo doctißimi interdum

homines plurimum in hac palæstra desudant. Ple-*rumq; enim contingit, ut oratio reddita alienæ lin-guæ uerbis, respondentibus quidem in significati-one, non tamen in utraq; lingua eundem retineant sensum, idq; propter* Dialecti, *seu phraseos ua-rietatem. Ne igitur hic fallamur incauti, opus est sæpe perito interprete.*

Secunda causa est iudicatio ordinis rerum. Nam qui non tractationis ordinem animaduertit, eum sæpe hallucinari certum est, ut qui ex Paulo *citant contra iusticiam fidei hoc dictum :* Non au-*ditores legis, sed factores iustificabuntur.* Hic *si tractationis ordinem obseruassent, uidissent eo lo-co minime concionatum fuisse de iusticia operum, uidelicet quod homines operibus iusti constituan-tur coram* Deo, *cum ibi* Paulus *instituat huius opi-nionis contra doctrinam fidei confutationem. Opus est ergo interprete, qui ordinem & ordinis partes dextrè monstrare poterit, cuius rei utilitas maior est, quam ut paucis uerbis indicari poßit. Tertia causa esse debet testimonium ueræ inter-pretationis. Nam cum auditores animaduertunt interpretationes ex uerbo* Dei *peti et uident con-sensum uerbi* Dei *& purioris* Ecclesiæ *cum inter-pretatione, magis amant doctrinam et auidius dis-cunt. Quarta causa, est confutatio falsarum opi-nionum, ne* Hæreticorum *uenenis discentes infici-antur. Hæ causæ satis magnæ sunt, propter quas*

Deus

Deus uult in Scholis & in Templis ministerium uerbi conseruari.

INTERPRETANDI GENERA.

Tametsi ex ijs quæ dixi de causis interpretationum,utcunq; intelligi possunt interpretandi genera,tamen quia prodest ea distincta habere,uolo de ijs quam possum maxime perspicue dicere, quemadmodum superius pollicitus sum. Quadruplicem itaq; formam enarrandi sacra animaduerti legens uariorum scriptorum commentaria.

GRAMMATICVM INTERPRETANDI GENVS.

Quidam parũ solliciti de tractationis Methodo,uoces tantum et phrases familiari & clariori modo explicant, quod interpretandi genus, quia constat Grammatica quadam exegesi uocetur Grammaticum. Hoc genus secuti sunt Athanasius, Theophilactus,Ambrosius & multi alij. Est profecto laude dignum,quod tanti uiri,qui copiose & eleganter disputationes longas ac orationes de singulis instituere potuissent, tamen se ad Grammaticos dimiserunt, Sciuerunt enim inde ueram sententiam petendam esse,Porrò huius generis interpres liberali doctrina instructus esse debet. Primum enim ipsum habere oportet cognitionem

eius linguæ, qua usus est scripti autor, nisi malit alienis quam suis oculis uidere. Et si non conceditur absoluta cognitio, tantam tamen esse oportet peritiam, ut linguas illas tres inter se conferre possit, Hebræam, Græcam & Latinam. Nam his tribus linguis opus est interpreti Theologo, quarum collationem plus prodesse animaduertit studiosus, quam magnorum hominum prolixia commentaria. Deinde ut dexter explicet, quod recte intelligit, necessaria est dialectica, quæ sæpe Grammatico interpreti manus auxiliatrices porrigit. Iuuabitur etiam non parum Commentarijs de copia, unde discet uarias eiusdem sententiæ reddendæ formas.

DIALECTICVM INTERPRETANDI GENVS.

Alij cum uident in omnibus rebus ordinem primas tenere partes, Methodum tractationisq; ordinem quærunt ac monstrant, ostendunt quæstiones, argumenta, collationem, ad certa capita seu locos communes, tanquam consultationes ipsas hypotheses reuocant breuiter. Hæc cura huius generis interpreti potissima est, ut omnia aperte & distincte proponantur ac declarentur. Verum quoniam hoc genus in Scholis utilissimum est, breuiter osten

dam

dam uiam, quam tuto interpres in hoc genere ſe= qui poterit, quod ut fiat apertius totam rem in quatuor Canones includam.

CANON PRIMVS.

In principio prælectionis alicuius ſacri ſcripti, omnium primum de doctrinæ genere dicat opor= tet, idq; hoc ordine (ut mihi uidetur) fieri poteſt commodè. Primum quale ſit doctrinæ genus expli cet, unde in commendationem delabi poteſt. Secun do, autoritas oſtendatur. Tertio, quæ ſit certitudo & unde petenda ſignetur. Quarto, quæ neceſſi= tas. Quinto quæ utilitas & fructus proueniat in= de ad auditores monſtretur. Hæc quinq; capita in principio alicuius libri ſacri utiliter explicantur meo quidem iudicio, nec improbo ſi his uel aliqua adijciat, uel aliqua ſubtrahat, modo ne auditores fallat, qui cum diſcunt Methodum imitationis eti= am auide quærunt.

CANON SECVNDVS,

Vbi autem iuxta primum hunc Canonem gene ratum dictum eſt de doctrinæ genere, commode fit deſcenſus ad hypotheſin, hoc eſt ad particula= re ſcriptum quod explicandum proponitur, in quo loco hæc neceſſario et qui Dialecticum inter= pretandi genus ſequitur, dicenda ſunt. Primum quis qualiſq; ſit ſcripti autor, unde autoritas ſcri= pti dependet. Secundo quæ fuerit ſcribendi occa=

ſio, cuius obſeruatio ad intelligendum tractationis ordinem facit. Tertio quis ſit ſtatus, ſeu quæſtio principalis, una ne an plures, unde de genere cauſæ iudicabitur, & totus ſcripti conatus eſt hoc finis & ſcopus ultimus deprehendetur. Quarto quæ ſit præſentis ſcripti Methodus ſeu (quod idem eſt) quis ſit tractationis ordo, qui niſi teneatur, parum aut nihil profuerit docentis labor.

CANON TERTIVS.

In omnibus ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis diligenter obſeruandum eſt, quod dum docent ſæpe dilabuntur in monitiones, reprehenſiones, laudationes, minas, conſolationes &c. quibus accommodant doctrinam auditoribus, eoſq; extimulant ad doctrinam ſuſcipiendam, hoc qui non attendũt, tractationis ordinem obſeruare nec poſſunt ipſi, nec alijs uiam recte monſtrare. Sed de hoc Canone plura dicam infra, ubi agetur de tractatione copioſa locorum communium.

CANON QVARTVS.

Explicatio ſingulorum capitum commode fieri poteſt hoc ordine. Primo loco in ſummariam quandam comprehenſionem totum caput contrahatur, quod dextre nemo niſi Dialecticæ peritus facere poteſt. Nam quæ ſpeciatim & per partes dicta ſunt, ad genera & tota reuocabit, quæ acceſſoria ſunt abſcindet. Non rerum omnia argumenta adhibebit,

hibebit, ſed ſumma rerum contentus erit, detractis omnibus quæ amplificationis, aut diductionis rerum cauſa addita ſunt. Secundo ordinem capitis oſtendat monſtrando quomodo cum præcedentibus (ſi aliquid præceſſit) cohæreat, partes maiores ſignet, & quomodo conſequuntur admoneat. Tertio loco ſequatur exegeſis textus, notentur loci communes, ut ad uſum omnia conuerti poſſint. Sed inuentionis locorum ratio tradetur infra, ubi de locis concionatorijs agetur, nunc ſufficit quid factu opus ſit breuiter oſtendiſſe.

ORATORIVM INTERPRETANDI GENVS.

Eſt & oratorium interpretandi genus in templis & Scholis utiliſſimum, in quo maxima quæq; ingenia ſe exercuerunt, ut Baſilius, Gregorius Nazianzænus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & multi alij Græci & Latini. Hi enim quæſtiones ſingulas fuſiori oratione explicant, Rhetorum more, qua de re rurſum dicendum ubi ad locorum communium tractationem uentum fuerit.

MIXTVM INTERPRETANDI GENVS.

Mixtum interpretandi genus eſt cum interpres uel ſuperiora omnia miſcet, uel quædam ex ipſis coniungit, quod non pauci noſtro ſeculo ma-

gno cum fructu faciunt, in quorum numero facile princeps eſt Philippus Melanthon, hunc ſequuntur præclariſsimi uiri Bucerus, Caluinus, Brentius & alij multi.

COMMENTARIORVM VSVS.

Multi abutuntur commentarijs, dum perpetuo in illis deſudant, parum aut nihil textum Biblicum morantes qui perinde faciunt, atq; is qui aliquo profecturus, in itinere perpetuo morandum conſtituit. Sunt enim Commentaria inſtar ſtatuarum Mercurialium. Nam quemadmodum hæ collocantur, ut monſtrent uiatoribus rectum iter ne aberrent. Sic Commentaria manu ducent lectorem inexercitatum, quibus non perpetuo utetur ſed quemadmodum uiator Statuis Mercurialibus. Has enim non aſpicit uiator ubi uiam iteratis crebris profectionibus pernouit. Hic primum admonetur interpres ſui muneris, nimirum ut cogitet ſe debere uiam monſtrare auditoribus eamq; expeditiſſimam, & non impedire properantes. Deinde & hinc patet quo in loco habendi ſunt diſcipuli Apoſtolorum & eorum ſucceſſores ſcripturarum interpretes. Hi enim omnes ſequendi ſunt quatenus habent præeuntem ſcripturam Propheticam & Apoſtolicam, at ſi quando ab hac aberrant, agno-

ſcamus noſtram communem in lapſum facilita-tem, et precibus Deum ſollicite precemur, ne ſinat nos in pernicioſos errores prolabi.

RATIO FORMANDI SACRAS CONCIONES.

Methodus concionatoria eſt certa uia ac ratio monſtrans rationem ſacras conciones formandi. Et quoniam ea quæ neceſſario in Eccleſia proponenda ſunt, non ſunt unius generis, nec una forma tradi poſſunt, perutile fuerit primum concionum genera, deinde rationem qua ſingula cum fructu tractari poßint oſtendere, ut futuris ſanctißimi miniſterij uerbi (quo nullum eſt auguſtius, nullum ſanctius) miniſtris, præſcripta ſit quædam compendiaria ratio formandarum concionum, quam ipſi uſu et exercitatione confirmatam præceptis dialecticorum & Rhetorum augere poterunt. Non noua fingo præcepta, Sed communes Dialecticorum & Rhetorum regulas ad certam materiam accommodo, & uſum doctorum hominum, quos concionantes audiui, præceptis aſtringo ut facilior ſit imitatio, quæ profecto parum erit firma niſi præceptis iuuetur, quemadmodum ſupra in præfatione dictum eſt.

GENERA CONCIONVM.

Est itaq; duplex concionandi genus. Vnum didascalicon. Alterum paræneticum. Didascalicon quidem est simplicium locorum, eorumq; tum personarum, tum rerum & coniunctorum locorum Thesium & Hypothesium.

Paræneticum uero triplex est. Suasorium, obiurgatorium & consolatorium. Potest autem hæc diuersitas concionum probari, Primum à diuersitate auditorum, quibus concio accommodabitur. Nam aut rudes sunt prorsus & sunt docendi, quo primum genus pertinet, aut non sunt rudes, sed uel pusillanimes & sunt consolationibus erigendi, uel pigri & sunt stimulis incitandi, uel sunt contemptores, & sunt minis castigandi. Ad hos quadruplices auditores omnes conciones Christi diriguntur, Alias enim docet ignaros cupientes discere, aliàs consolatur et erigit pusillanimes, Nunc tardiores inhortatur, interdum prophanos minis territat. Exempla paßim in Euangelica historia obuia sunt. Deinde idem comprobatur abusu scripturæ sanctæ. Nam 2. Timoth. 3. sic scribit Paulus. Omnis scriptura diuinitus inspirata & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusticia, ut integer sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus. Hic quadruplex usus scripturæ indicatur, idq; quatuor uocibus quæ sunt: διδασκαλία, ἔλεγχος, ἐπανόρθωσις, παιδεία. Didascalia primo genere

nem-

nempe Dicaſcalico tractanda eſt. ἔλεγχος obiurgationem habet. ἐπανόρθωσις eſt cum lapſus erigitur & ſtabilitur, quod conſolationibus fieri manifeſtum eſt. παιδεία puerorum eſt inſtitutio, cuius potiſsima pars ad recta & honeſta ſuadere, & ab iniquis, & turpibus diſſuadere. Conuenit itaq; noſtra diſtinctio cum auditorum uarietate, Chriſti exemplo & Pauli traditione. Verum quoniam auditores in publicis cœtibus mixti ſunt, fit ut Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli, atq; adeo omnes pij miniſtri uerbi plerunq; ex doctrina extruant conſolationes, ſuaſiones et obiurgationes, quas uis doctrinæ quaſi adiunctas habet, quemadmodum ſuperius dixi fieri in Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis, quorum exempla pios miniſtros decet ſequi in formandis concionibus. Nec ideo noſtra diſtinctio eſt improbanda, ut quæ ad rerum tradendarum naturam pertinet, docetq; quæ ſit ratio obſeruanda in concionibus formandis, tametſi interdum ea quæ nominaui tanquam acceſſoria digreſsionis Schemate accommodantur, quod qui non obſeruant, nec poterunt ſuas recte formare, nec aliorum conciones iudicare memoriaq; tenere. Quare concionum genera diſtinguantur, & quæ adduntur recte extruantur.

DE GENERE DIDASCALICO.

Didaſca-

Didascalica concio est cuius finis est ignorantem docere auditorem. In hoc concionis genere pius concionator totos neruos intendet, ut ipse prius rem docendam exactè cognitam habeat, Deinde ut eiusdem plenam œconomiam formet apud sese, tum eam explicet plana & populari oratione, habita ratione non suæ laudis ob eloquentiam, sed potius gloriæ Dei promouendæ, & captus præsentium auditorum, quod si fecerit sperare potest ut auditor non amplius fluctuet opinionibus, sed doctrinæ ueræ & perspicuæ acquiescat. Quoniam autem Didascalica concio duplex est, quemadmodum supra in diuisione admonui, nimirum simplex siue simplicium locorum, & coniuncta siue coniunctorum locorum, postulat docendi ratio, ut primo loco de didascalica simplici dicatur. Sed quoniam didascalica simplici nunc personæ, nunc res tractantur, de personarum tractatione primum dicendum uidetur.

DE DIDASCALICA SIMPLICI PERSONARVM.

Duplex est personarum tractatio, una paradigmatica seu exemplaris, Altera Epidictica seu demonstratiua. Nam si factum aliquod personæ proponitur paradigma est, at si tota persona describi-

ſcribitur: ἐπίδειξις & demonſtratio perſonæ exiſtit.

DE PARADIGMATICA TRACTATIONE PERSONARVM.

Cum itaq; proponitur perſona aliqua ex ſacris Hiſtorijs, cuius tota uita non deſcribitur, ſed factũ perſonæ aliquod producitur, idq; uel doctrinæ, uel imitationis, uel admonitionis gratia, paradigmatica erit tractatio. Hoc modo Paulus Romanis & Galatis proponit Abrahamum: Hoc modo Epiſtola ad Hebræos cap. 11. magnum Prophetarum & regum cathalogum recenſuit, Abrahami facto fidei doctrina & natura docetur, imitatio commendatur, uocationis exercitia firmantur, & ueræ pietatis fructus & opera. Pœnitentia Manaßis, docet lapſos recipi, imitationis cauſa utiliter proponitur admonet de miſericordia Dei tam immanem Eccleſiæ perſecutorem ac tam impurum Idolatram, ex mera ſua bonitate in gratiam recipientis. Verum hic occurrendum eſt ijs, qui ſæpe Sanctorum exemplis abutuntur. Sunt enim qui ſcelera ſanctorum imitari malunt quam uirtutes & ſe ſanctorum exemplis defendunt. Sunt etiam qui ex factis ſanctorum perſonalibus & extra ordinarijs mandatis, male extruunt

ſpeciem facti, et tanquam legem uniuerſalem commendant. Illi reſponſione digni non ſunt. Hi admonitione in uiam reuocandi erunt. Tenere enim eos oportet diſcrimen, inter mandata ſeu præcepta pietatis communia & perſonalia, quæ tantum uel unum populum, uel unum hominem attingunt. Hebræi iuſsi ſunt ut ſpoliarent Ægyptios. Abraham ex mandato Dei filium in monte Moria, mactare in holocauſtum parat. Hæc perſonalia facta in ſpecie non accommodanda erant, ſed in genere tantum. Nam ab utroq; exemplo diſcenda eſt obedientia erga Deum, in ijs quæ à nobis ſuo uerbo requirit. In hac quoq; perſonarum exemplum tractatione notum eſt Papiſtas & præcipuè Monachos periculoſè erraſſe, qui neſcio quos fictitios ſanctulos in concionibus propoſuerunt, eoſq; per totam uitam adeo inculpate uixiſſe finxerunt, ꝙ nunquam uel in minimo impegerint. Huiuſmodi ficta perſonarum deſcriptio, magis ad deſperationem quam ædificationem conſcientiæ luctantis cum magnitudine peccati & iræ Dei facit. Proponantur igitur uera exempla, ficta relinquantur poëtis, & non ab ijs tractentur, qui Oeconomi myſteriorum Dei à D. Paulo appellantur. Sacra ſcriptura & uera hiſtoria ſuppeditet exempla, qualia ſunt Abrahæ, Iob, Ioſeph, Manaſſe, Magdalenæ, Latronis conuerſi & ſimilium. Ex huiuſmodi enim nō ſolum docere poſſumus auditores ueram

pietatem, uerũ etiam formam recte uiuendi iuxta uocationis rationem. Meminerit itaq; pius Ecclesiastes exempla utilia pietati proferre, & non ea quæ ad desperationem facere uidentur. Nunc tempus est ut quæ dicta sunt claro paradigmate declaremus. Et quia nullum Abrahami exemplo illustrius esse potest, illud examinandum proponam.

Paulus inquit: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Hic Paulus Exemplum Abrahæ potißimum doctrinæ gratia producit, & inde eruit non solum iusticiæ firmam doctrinam, uerumetiam naturam fidei, & qualis uitæ sanctimonia credentis personæ esse debeat extruit. Ad hunc modum discamus ex imitatione Pauli duo obseruare in exemplis, factum uidelicet in se, deinde circumstantias personæ & facti. Factum in se docet iusticiam ueram fide in promißiones Dei constare. Circumstantiæ personæ et facti de pluribus rebus admonent.

Primum quòd Circumcisio non necessario requiratur ad iustificationem. Est enim Abraham ante circumcisionem iustificatus, sed postea addita est circumcisio tanquam sigillum iusticiæ, quæ est ex fide.

Secundo profeßio uitæ Abrahæ ante iustificationem, testatur eum nullis meritis proprijs aut præparantibus operibus à Deo receptum, sed sola bonitate Dei.

Tertio quod iuſticia fidei ad omnes promiſcuè pertineat, hoc Abrahamico exemplo indicatur. Eſt enim fide iuſtificatus Abraham antequam ullis notis externis diſcreti ſunt homines. Ex hac circumſtantia Prophetæ haud dubiè conciones de uocatione gentium extruxerunt.

Quarto quod ritus Moſaici nõ requirantur à iuſtificandis, ut enim ſine illis Abraham eſt iuſtificatus, ita qui eius exemplo iuſtificabuntur, eos non requirant ad iuſticiæ complementum.

Quinto quod ſine lege morali & operibus in Decalogo præceptis contingat iuſtificatio. Nam ſi Abrahæ exemplo iuſtificamur, & is fuit iuſtificatus annis multis, id eſt 430. ante Legem, profecto fieri non poteſt, ut ex lege ſit iuſticia. Verum ſi quis obijcit legem Moralem fuiſſe perpetuò, eaq; non caruiſſe Abrahamum, reſponſio facilis eſt. Nulla enim merces debetur operibus, niſi ex pacto Dei. Nam opera non ſunt intrinſeca dignitate meritoria, ſed acceptatione Dei, & ratione pacti, firma igitur ſtat conſequentia Pauli: Abraham iuſtificatus eſt fide promiſsionis, ante editum pactum de operibus, nimirum qui fecerit ea homo uiuet in eis, Ergo fide & non operibus eſt iuſtificatus.

Sexto quod uera & iuſtificans fides ſit certa πληροφορία quæ non rationis argumentis ſuccumbit, ſed certo ſtatuit eum qui promiſit mentiri

non posse utut tota rerum natura redamare uideantur, & quod fides habeat adiuncta bona opera & obedientiam erga Deum, quodq; nihil charius Christiano esse debeat, quam diuinæ uoluntati obtemperare. Atq; ita Prophetæ, pij reges, Apostoli, atq; adeo omnes pij post Abraham, primum ab exemplo didicerunt ueram iustificandi rationem, deinde ex circumstantijs personæ & facti, de rebus grauissimis admoniti sunt. Hoc pacto pius concionator exemplo Pauli applicet & alia exempla, tum in se tum in circumstantiarum uarietate, & semper in accommodatione meminerit respiciendum esse ad fidei analogiam.

DE EPIDICTICA PERSONARVM TRACTATIONE.

Epidictica personarum tractatio totam uitam, adeoq; omnes uitæ partes personæ alicuius pertractat, idq; eo ordine, quo loci personarum in Erotematis Philippi recitantur. Est enim is ordo non solum naturalis, uerumetiam dicenti & audienti commodus. Verum hoc imprimis obseruandum est in Epidictica personarum tractatione, ꝙ illa membra potißimum exornanda sunt, ex quibus tria illa supra commemorata, Doctrina, Imitatio & Admonitio, peti possunt. Nam Paulus Rom. 15. de hoc accommodationis modo admonet,

cũ inq̃t: Quæcunq; ſcripta ſunt in noſtram doctri nam ſcripta ſunt etc. Debent itaq; huiuſmodi mem bra ad totum Eccleſiæ corpus accommodari, quod fit ubi Hypotheſin ad Theſin recte transferimus. Vt ſi Baptiſtæ tuta eſſet ἐπιδεικτικῶς tractanda, ſequendus eſſet ordo naturalis, dicendũq; eſſet de parentibus, de conceptione, de natiuitate, de edu catione, de uocatione, de officio, de teſtimonio Chriſti, de morte & ijs quæ circa mortem et poſt mortem contigerunt.

In membro de parentibus hæc inſunt, quod pre ces piorum aßiduæ tandem exaudiantur, quod af flicti credentes conſequantur ad extremum conſo lationem, quod Deus approbet matrimonium Sa cerdotum. In membro de conceptione, Primum of fert ſe officium Angelorum, quod ſint legati Dei et miniſtri Eccleſiæ. Deinde quod ſit memor Deus ſuarum promißionum. Tum quod Dei actio non impediatur impedimentis naturalibus, hoc eſt na turæ ſterilitate & defectu. Deinde quod Ioannes adhuc in utero matris agnouerit Chriſtum, docet quod pueri recipiantur à Deo, & quod à pueris agnoſci & coli uelit Deus. In membro de natiuita te gratitudo erga Deum pro acceptis beneficijs commendatur. Piorum officium mutuum oſtendi tur, quod gratulari debeant ijs quibus benedictio Dei contingit. Deniq; quod pij debeant ſuos pue ros Deo adferre ſeu commendare. Deinde uitæ au

ſteritas

ſteritas nobis non monaſticen, ſed ſobrietatem et obediētiam erga Deū cōmendat. Poſthæc in officio ipſius & circumſtantijs perſonæ & officij non ſolum doctrina, ſed etiam conſolatio, conſtantia in officio, confeßio, crux, amor ueritatis, atq; innumeræ aliæ uirtutes pijs commendantur. Conſolatio eſt quod digito ſaluatorem monſtrauerit. Conſtantia, quod Herodis minas & Phariſeorum contemnens, Euangelium intrepide docuerit. Confeßio, quod ſe uocem clamantis in deſerto faßus ſit. Crux, quod propter uocationem non ſolum uagatus ſit ſine certis ſedibus, ſed mortem quoq; adire non dubitauerit. Hæc omnia quæ ſic eruuntur ex perſonæ & officij circumſtantijs, primum pijs miniſtris uerbi doctrinæ, imitationis & admonitionis gratia proponantur. Deinde in genere uniuerſæ Eccleſiæ, quantum ad communia pietatis officia pertinet. Perſonalia enim facta non in ſpecie ſed in genere accommodanda ſunt, quemadmodum ſupra admonui.

Eſt et alia forma tractandi exempla, nimirum cum non habeatur ratio ordinis, temporum, ſed tantum uirtutum & uiciorum genera recitantur & illuſtrantur, ſed hæc forma paradigmati ſubijcienda eſt. Atq; hæc de duplici paradigmatica & Epidictica perſonarum tractatione dicta ſufficiant. Ratio autem eruendi locos, per quos exempla accommodantur Eccleſiæ, poſtea ubi de locis com-

munibus inueniendis tractabitur, exponenda est, hic sufficit Methodum monstrasse, & paucis exemplis Methodi usum ostendisse.

DE DIDASCALICA SIMPLICI RERUM.

Didascalica simplex rerum (hoc est, ut usitate uocant locorum simplicium) est cum de una re simplici docendus est auditor, ut de Deo, peccato, gratia, de iusticia Christiana &c. Hæc forma subtiliorem tractandi rationem requirit, & maiori artificio indiget. Quanquam autem hæc Methodus expositione propriè constat, quemadmodum coniuncta argumentatione, tamen membra huius formæ argumentatione confirmabuntur. Itaq; præsentis formæ instrumentum propriè quidem est expositio. Argumentatio uero adhibetur fulciendis expositionis partibus. Præterea & hoc obseruandum est, quod triplex in hac forma soleat adhiberi expositio, nimirum Diæretica, Synthetica & Analytica. Nam alias alia ratio cōmodior est.

DE DIDASCALICA SIMPLICI RERUM DIÆRETICA.

Tametsi Diæreticus ordo (cuius membra potißima sunt definitio & diuisio) tractandi res simplices, & à Philippo in Methodo didascalica simplici,

plici, & ab alijs Dialecticis diligenter indicatur: tamen operæprecium esse iudico hoc loco tractandi rationem præscribere, quæ commoda futura est nouitijs concionatoribus. Primum itaq; summa capita proponam. Deinde tractationis Methodum subijciam:

Sunt igitur hæc capita.

1. Definitio.
2. Diuisio seu partitio.
3. Causæ.
4. Effectus.
5. Vsus & abusus.
6. Antitheses.

DE DEFINITIONE.

Definitionum aliæ nostræ sunt, aliæ aduersariorum. Illas ut ueras exponemus, probabimus, comprobabimus & colligemus. Has ut falsas confutabimus. In utroq; genere est peculiaris Methodus, sed de priori prius dicendum est.

Definitio itaq; quam pius concionator, & ueram & immotam statuet, quatuor habebit partes in tractatione, expositionem, rationem comprobationem & complexionem.

Expositio est oratio, per quam exponimus nostram de re aliqua definitionem claris & perspicuis uerbis.

Est aūt definitio Theologica duplex contracta & copiosa. Illa genere et differentia contenta est. Hæc causas, adiuncta, propria, et circumstantias interdum, generi & differentiæ accommodat. Ratio est definitionis probatio. Comprobatio est per quam confirmamus seu declaramus rationem siue exemplis, siue alijs declarandi modis. Complexio est breuis expositionis, Rationis et Comprobationis Comprehensio. Porrò q̄ dictum est de Ratione et Comprobatione, ita intelligi uelim, quod non simplex ratio, neq; simplex comprobatio, sed et rationes et comprobationes plures adhiberi poßint, prout commodum auditoribus, et rei tradendæ utile esse uideatur. Deinde et hoc obseruandum est, quod definitio copiosa confirmanda Analysi prius resoluenda sit in propositiones, interdum etiam in terminos. Deinde rursus paulatim coniungendæ sunt partes per Synthesin, & ostendenda definitionis neceßitas. Atq; hæc omnia rationi definitionis subijcienda sunt. Nunc exemplo uno atq; altero præcepta illustremus, ac sumamus primum definiendum matrimonium. Matrimonium itaq; est uiri & mulieris legitima coniunctio (hæc definitionis expositio est, sequitur ratio) scriptum est enim: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ (sequitur Comprobatio) Si hæc uerba rite examinentur in ipsis inueniemus quæ posuimus in definitione.

Primum enim testantur coniunctionem debere esse, quæ legitima est, cum sit iuxta uerbum Dei, et uoluntatem Dei. Deinde cum dicit: Erunt duo in carne una, unius uiri & unius uxoris uult copulam, non unius uiri, & multarum uxorum, neq; unius uxoris & multorum uirorum, quemadmodum & primum coniugium Adam & Euæ testatur. (Sequitur Complexio) Cum itaq; Deus sua lege præceperit ut legitime copulentur personæ, ut sint nõ plures personæ in matrimonio quam duæ, relinquitur matrimonium esse legitimam uiri ac mulieris coniunctionem. Ex hoc exemplo utcunq; intelligi potest tractatio definitionis simplicis, q̃ si ad Dialectices leges & normas reuocare uelis, Prima pars quæstio dicitur, Altera ratio, Tertia rationis confirmatio siue Ætiologia, Quarta Conclusio, in qua Hypothetica forma ipsa ratio cum quæstione repetitur. Verum membrorum appellationes, quas superius recitaui, tractationi populari seruiunt magis, ut quæ intellectu faciliores sunt.

Addamus etiam exemplum copiosæ definitionis, quod fusius explicemus, ac sumamus definiendum Euangelium. Euangeliũ itaq; est doctrina diuinitus reuelata, in qua annunciatur liberatio à peccato, maledictione legis et ira Dei, & proclamatur remißio peccatorum, salus & uita æterna, credentibus in Filium DEI propter eiusdem

uictimam, ut bonitas & misericordia Dei prædicentur, utq; liberati per Filium, fructus Euangelio dignos edant. Hactenus expositio definitionis, quæ Analysi resoluenda est in has propositionis, quarũ prima est, quod Euangelium sit doctrina diuinitus reuelata. Secunda, quod Euangelium annunciet liberationem à peccato, maledictione legis, ira Dei &c. Tertia, quod proclamet remissionem peccatorum, salutem & uitam æternam. Quarta, quod hæc beneficia contingant credentib. in Christum. Quinta, quod Euangelij uis resideat in uictima Christi. Sexta, quod ex Euangelio Deus sit prædicandus. Septima, quod homo gratitudinem suam Deo exhibere debeat, piè uiuendo. Has propositiones ordine confirmare oportet. Sequitur ergo ratio primæ propositionis. Euangelium enim esse doctrinam diuinitus reuelatam. Paulus clare docet, uocans Euangelium mysterium absconditum à seculis. Comprobatio. Quibus uerbis aperte docet ex humana ratione nõ pendere Euangelium. Nam si ratio ullo pacto potuisset hanc doctrinam perspicere suo acumine, nequaquam mysterium absconditum à seculis dicendum esset (Ratio secundæ propositionis) Deinde annunciari in Euangelio liberationem à peccato, à maledictione Legis & ira Dei, multa testimonia docent Prophetica & Apostolica. Daniel aperte dicit Christum ablaturum peccatum. Paulus maledictionem legis per

Christi aduentum abolitam docet. Pater clamat de cœlo se per filium placatũ (Comprobatio) hoc uerum esse experti sunt omnes pij, testimonium habentes Spiritus sancti, per quem clamant Abba Pater, quod profecto non facerent, nisi certo statuerent ablatum peccatum, maledictionem legis abolitam, iram Dei placatam: Ratio tertiæ propositionis, proclamari porrò in Euangelio remißionem peccatorum, salutem & uitam æternam, testantur hæc testimonia, Ipse Dominus dicit sic scriptum esse, quod oporteat prædicari in ipsius nomine pœnitentiam & remißionem peccatorum, incipiente prædicatione à Hierusalem. Marci ultimo promittitur salus credentibus, Similiter Roman. 10. Præterea Dominus ipse uitam æternam promittit in se credentibus. Quid multis? Vniuersa scriptura sacra remißionem peccatorum, salutem & uitam æternam pollicetur populo Euangelium amplectenti (Comprobatio) fieri enim non poßit quin (sublata ira Dei maledictione legis ac peccato) salus, iusticia & uita sit parta. Verum quia hæc non contingunt omnibus (Cain enim, Iudas, Saul & multi alij perierunt, & hodie magna pars mundi, proh dolor, ruit in æternum exitium) in definitione additum est quarto loco, quod hæc beneficia contingant credentibus (Ratio) Clare enim dicit Dominus: Qui credit in me non peribit, sed habebit uitam æternam (Comprobatio) Et

ne quis hoc ex conditione operum pendere existimet, Paulus hominem iustificari fide sine operibus scribit, & prolixis disputationibus confirmat ad Rom. & Galat. Porrò quinto loco additum est quod Euangelij uis in Christi uictima resideat (Ratio) Sic enim Paulus inquit: Per redemptionem quæ est in Christo Iesu (Comprobatio) Vox etenim qua Paulus hic utitur est ἀπολύτρωσις, hoc est redemptio quæ fit dato precio pro capitis pœna, λύτρον enim proprie precium liberationis est, Tale precium pro nobis soluit Christus, quando factus est pro nobis peccatum, ut nos fieremus iusticia Dei. Præterea sexto loco adiectum est, Deum prædicandum esse propter suam bonitatem & misericordiam (Ratio) Id quod satis conuincit Angelorum cohors, canens nato Domino hunc Hymnum Deo: Gloria in Excelsis Deo, et in terra pax, hominibus εὐδοκία (Comprobatio) Hoc namq; ideo factum existimemus esse, ut omnes qui hunc Christum agnoscunt, discant Angelorum exemplo bonitatem & misericordiam Dei prædicare, præsertim cum ipsa natura clamitet gratitudinem reddendam esse bene meritis. Postremo loco additur de fructibus, quos edere debent liberati per Euangelium (Ratio) quod confirmatur testimonio Pauli dicentis, Nos in Christo Iesu creatos ad bona opera, in quibus nos ambulare uult Dominus. (Comprobatio) Quomodo enim conuenirent

ista,

ista, nos liberatos à peccato, & tamen facere desideria peccati, Cum Paulus dicat, apparuisse gratiam Dei salutarem omnibus hominibus, ut abnegata impietate & humanis desiderijs, sobriè & piè & iustè uiuamus &c. (Complexio) Cum igitur firmis demonstrauimus rationibus per Euangelium tolli peccatum, maledictionem legis, & iram Dei, & succedere in horum locum iusticiam, salutem et uitam propter Christum, dum in ipsum credimus, et quod uelit nos Deus propter hoc beneficium suam bonitatem prædicare, ac uita tota gratitudinem ostendere, sequitur quod antea proposuimus, Euangelium esse doctrinam diuinitus reuelatam, in qua annunciatur &c. Atq; in hunc modum, tractata nostra definitione, si sunt qui aliter sentiunt, confutandi sunt Methodo confutatoria, quæ constat propositione, sublatione, opposita propositione, & solutione.

Propositio hoc loco est sublationis pollicitatio. Sublatio, est ipsa aduersariorum propositio. Opposita propositio, est solutionis pollicitatio. Solutio, est confirmatio oppositæ propositionis. Sed res breui exemplo illustretur, Nec me clam est quod aduersarij nostri Papistæ garriant (hæc confutationis propositio est, sequitur Sublatio) Euangelium esse nouam legem de non uindicando, de abijciendis facultatibus, de non iurando &c. (Sequitur opposita propositio) Verum id quam friuolum

sit,

ſit, non eſt difficile oſtendere. (Sequitur Solutio) Id enim quod aſſerunt ex diametro pugnat cum Chriſti ſacrificio, adeoq; cum uniuerſa ſcriptura, quæ fide nos conſequi Euangelij beneficia clamitat. An non clara ſunt uerba Pauli? Si iuſticia eſt ex lege, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Hæc oppoſitæ propoſitionis confirmatio, ex locis confirmatorijs, hoc ex Dialecticis petenda eſt, de qua re dicam in coniuncta locorum Methodo. Verum quid generaliter tum in confirmationibus, tum in confutationibus obſeruandum ſit, hic admonendi ſunt ſtudioſi. Primum itaq; poſtquam perſpicuis argumentis confirmaueris ἀντιπρώτασιν, ordine aduerſariorum argumenta diluenda ſunt, etſi res ita patitur, omnium primum genus ſumendum eſt, & poſtea ad ſpecialia argumenta deſcendendum, ut in præſenti cauſa. Primum confutandum eſt Euangelium eſſe legem, Deinde non eſſe legem de uindictæ prohibitione, de abiectione facultatum, de non iurando &c.

Præterea & hoc cum in confirmatione noſtræ ſententiæ, tum in confutatione aduerſæ partis diligenter ſpectãdum eſt, ut præoccupes ea quæ uel prudentia carnis, uel aduerſaria pars obijcere poßit contra ea quæ dicis, et ea confutes. Hoc Paulo uſitatißimum fuiſſe apparet in ipſius ſcriptis. Quemadmodum in propoſita confutatione ſententiæ Papiſtarum, quod Euangelium ſit noua lex.

Caro ingrata Deo inde arma arripit, contra doctrinam operum & infert hoc pacto. Si Euangelium liberat nos sine operibus nostris cur igitur bene operemur? Hæc obiectio per occupationem tollenda est, Atq; ita in omnibus partibus concionis spectabit fidus Ecclesiastes quid contra dici poßit. Sed præcepta copiosæ confutationis & confirmationis infra tradenda sunt.

DE DIVISIONE ET PARTITIONE.

Hoc Methodi membrum commode in hunc modum tractari potest. Si primum exponas tuam diuisionem seu partitionem. Secundo probes. Tertiò comprobes. Quarto colligas rursus. Exemplum diuisionis sit hoc. Audiuimus quid sit lex, sequitur ut quotuplex sit dicatur (huiusmodi enim transitionis formula utendum est cum uno in aliud descenditur) Est autem Lex Dei Triplex, Moralis, Ceremonialis, & Iudicialis. Hæc expositio fuit (Ratio) Omnis enim lex Dei aut mores format, aut ritus commendat, aut iudicia exercet (Comprobatio) His enim rite hominis uita conseruatur et gubernatur. In ciuili enim uita, iudicijs opus est, in Ecclesiæ cœtu Ceremoniæ sunt necessariæ, religionem animi erga Deum, & pietatem erga homines (in spirituali Dei regno) morum præceptis constare manifestum est (collectio) firmum est igitur

tur quod proposuimus, legem Dei esse triplicem, Moralem, Ceremonialem, Iudicialem, præsertim cum his tribus uitæ recta gubernatio constet, siue uitam communem spectes, siue Ecclesiam, siue spirituale Dei regnum. Hæc diuisionis membra si obscura sunt definitionibus & subdiuisionibus explicentur, ac rationibus & exemplis illustrentur. Verum si aduersarius aliam diuisionem, eamq; falsam obtrudit, confutationis Methodo euertenda est. Exemplo non opus est in re aperta. Porrò partitio eadem ratione instituenda est, ut pœnitentiæ partes sunt Contritio, fides & studium recte formandi uitam (Ratio) peccati enim nos pœnitere oportet. Et quia hæc contritio nihil prodest, nisi accedat fides in Christum, necessario & hæc additur, & quia neutrum horum uerum est, nisi sequatur studium recte & pie uiuendi, necessario cum superioribus coniungitur bonum propositum (Comprobatio) Nam uidemus & scripturam & exempla hæc tria coniungere. Dauid lapsus dolet se peccasse, confugit per fidem ad misericordiam, & reliquam uitam quanta potuit diligentia innocentem conseruauit. Hæc partitionis membra si definitionibus & diuisionibus, & earum rationibus diffunduntur, magna orationis & utilis copia exurget.

DE CAVSIS.

Iam rei causas addere oportet prorsus naturali ordi-

ordine, & per seiunctionem excludendæ sunt quæ putantur rei causæ & non sunt. Singulis causarum generibus suæ rationes ex uerbo domini adijciendæ sunt, Causæ coniunctæ concurrunt in suis actionibus, & stant mutuis auxilijs, singulæq; proprium quiddam habent in actionibus. Quare causarum ordines diligenter considerandi sunt, ne fiat causarum confusio, unde postea magnæ tenebræ exoriuntur. Deinde & hoc obseruandum est, cum aliquid præcipitur aut prohibetur, omnes coordinatas causas præcipi aut prohiberi. Vt cum sanctificatio nominis dei præcipitur, quæ fieri nequit sine fide, & hæc non sine noticia Dei contingit, quæ noticia Dei sine prædicatione uerbi Dei esse non potest. Ergo cum iubemur petere sanctificationem nominis Dei hæc ordine petimus, prædicationem uerbi, noticiam Dei, fidem, et ipsam nominis Dei sanctificationem. Nunc breuiter exemplum subijciam. Vt pœnitentiæ causæ sunt non hominis liberum arbitrium. Hæc seiunctio est. Sed primum uerbum Dei, Deinde Spiritus sanctus, qui intus arguit peccatum, & excitat odium peccati in corde hominis, Tum uoluntas motui diuino & uerbo non repugnans. Fines sunt gloria Dei & salus pœnitentis. Hæ sunt coniunctæ causæ, & stant mutuis auxilijs in suis actionibus, et facile apparet singulas quiddam proprium habere in suo ordine ad effectum. Porrò quomodo hæc sint explicanda defi-

definitionibus & confirmanda testimonijs, ex superioribus praeceptis intelligitur.

DE EFFECTV.

Effectus exponantur, probentur, comprobentur et colligantur, et qui falso rei tribuuntur, confutationis Methodo euertantur, ut si quis dicat, contritionem mereri remißionem peccatorum, Confutandus est eo modo, quem supra indicaui.

DE VSV ET ABVSV.

Si fuit res in abusu, confutetur abusus confutationis Methodo. Deinde uerus usus exponatur, probetur & comprobetur.

DE ANTITHESIBVS.

Antitheses non certum locum habent, neq; in hac Methodo, neq; in alijs, sed paßim interferendae sunt illustrationis & amplificationis gratia. Putant enim Rhetores nihil magis facere ad perspicuitatem, quam Antithesium seu contrariorum collationem.

DE DIDASCALICA SIMPLICI SYNTHETICA.

Expositio Synthetica est quando exordimur ab ijs quae antegressa sunt rem, & paulatim per gradus componimus ea & cumulamus donec omnia illa collecta uidentur, quae ad rei naturam excutiendam sufficiunt. Vt si de pace quam cum

Deo habemus per fidem, dicendum esset, hæc κατὰ σύνθεσιν exponi possent. Primum quæ offensa. 2. Offensæ partes. 3. Mediator. 4. Compensatio iniuriæ & damni, seu satisfactio. 5. Reconciliatio. 6. Pactum reconciliationis. 7. Pacis declaratio seu promulgatio. 8. Fructus pacis. Hæc si sigillatim confirmarentur, Comprobarentur & illustrarentur testimonijs & exemplis copiosa emergeret oratio. Hoc pacto σύνθεσις sequitur ordinem naturæ & omnes quæ præcedunt natura quæstiones, inuestigat, exponit, probat, comprobat, Antithesibus, exemplis, similibus & dissimilibus illustrat. Porrò & hoc obseruandum est, quod copiosæ definitiones hac Methodo extruantur.

DE DIDASCALICA SIMPLICI ANALYTICA.

Analitica expositio est quando à toto uel fine exordimur, & deinde partes & ea quæ ad finem requiruntur inuestigamus, ordine planè superiori contrario, ut si de oratione dicendum esset, hac Methodo primum quid esset inuocatio (habet enim definitio totius rationem) & quis eius finis exponendum. Deinde quæ ad orationem tanquam necessaria membra pertinent enumerandum esset, ut sunt affectus mentis, Causæ cur orandum, quis

orandus, per quem & quid orandum, quæ memoriæ gratia complecti soleo hoc uersiculo:

Affectus, causæ, quis, per quem, quidq; petendum.

Postremo addi possunt circumstantiæ indifferentes, ut orationis circumstantiæ indifferentes sunt, Locus, tempus, gestus. Hæc profecto si scripturis & exemplis probentur & illustrentur, magna & utilis orationis copia nascetur.

Porrò quæ hactenus dicta sunt de simplici rerum seu locorum tractatione, ita intelligantur oportet, quod sic fieri debeant omnia iuxta diuersarum Methodorum simplicium quæstionum rationem artificiosam. Verum quoniam uarietas exercitatos delectat interdum harum Methodorum leges ad amußim non sequuntur concionatores docti, sed auditores quasi in consilium adhibent, & ea deligunt ex magna copia, quæ præsentibus auditoribus quam utilißima cognitu fore arbitrantur. Atq; hanc tractandi rationem nonnulli Methodum prudentiæ appellant, quæ circumstantias auditorum præsentium & rerum pondera metitur. Vt si quis de Lege Dei esset dicturus, hic primum auditores contemplaretur, deinde rei pondus consideraret, Tum facile ad pauca capita captu facilia reuocaret tractationem, & primum forte quid Lex sit exponeret. Secundo an quisquam Legi Dei satisfaciat. Tertio quis usus cum nemo satisfacit. Quarto qualis legis abrogatio

intelli-

intelligenda sit. Similiter fieri potest in alijs quæstionibus simplicibus. Quanquam autem hæc ita sint, nouitijs tamen concionatoribus, qui nondum exercitati sunt, profuerit artis Methodum sequi quam exposui, idq; tum propter memoriam confirmandam, tum ut exercitati diu multumq;, possint postea utrumq; genus fœliciter sequi.

Porrò est & hoc admonendum, quod in locorum siue simplicium, siue coniunctorum tractatione, si plures sunt loci, obseruare oporteat, ut is locus, qui natura præcedit, etiam tractatione præcedat. Vt si de peccato & gratia esset habenda oratio, de peccato prius quam de gratia dicendum esset, Sed si prorsus discreti sunt loci, nihil refert, quo ordine eos explices nisi forte alter alteri in confirmatione opem ferat, Tum enim is priori loco explicandus est, quo explicato iuuetur alter.

DE DIDASCALICA CONIVNCTA.

Didascalica Concio coniuncta, siue coniunctorum locorum, est quando certi loci coniuncti, hoc est propositiones, Theses & Hypotheses tractantur quod fit propriè Methodo confirmatoria & confutatoria, plerunq; tamen accidit, ut mixta Methodus adhibeatur. Nam si propositionis partes obscuræ sunt, Analysis eas retexet, & partes se-

orſim proponet. Diæreſis propoſitas partes explicabit, poſtea ſintheſis componet, ac Methodus confirmandi ac confutandi compoſitum probabit, & q cum eo pugnat confutabit. Vt ſi prima precatio tractanda proponeretur: Sanctificetur nomen tuum. Hic neceſſario primum Analyſis eſſet adhibenda, quæ in duas ſimplices partes retexeret hanc propoſitionem, in nomen Dei & ſanctificandi uerbum. Deinde Diæreſis utramq; partem unam poſt alteram definitionibus & diuiſionibus explicaret, Tum Syntheſis rurſus componeret partes. Hinc iam confirmatio & confutatio tempeſtiue adhiberetur, Atq; hoc præceptum perpetuo ſequendum eſt, ubi partes propoſitionis explicatione indigent, alias minime. Præterea in parabolis Domini & alijs adhibenda eſt Analyſis, ut primum retextas partes proponas. Deinde eaſdem per comparationem rei ad quam pertinet parabola accommodes. Tum extrues doctrinas & paræneſes, ut in craſtino Euangelio in parabola de ſemine partes parabolæ ſunt quinq;: Seminator, Semen, Seminatio, Terra, Fructus. Seminatori Deus: Semini uerbum Dei: Seminationi prædicatio uerbi: Fructui ſeminis, fructus uerbi comparentur. His explicatis extrues doctrinas & paræneſes, Vt doctrinæ præſentis parabolæ ſunt: Prima ſollicitudo Dei de noſtra ſalute procuranda. Confertur enim hic Dominus diligenti agricolæ. Se-

cunda

cunda dignitas uerbi. Tertia dignitas Miniſterij. Quarta quod nobis & diabolo imputandum ſit, ſi fructum non ferat uerbum.

Porrò parænesſes ex fine parabolæ extruendæ ſunt. Sunt autem fines præſentis parabolæ, ut Dominus excitet auditores ad uerbi amorem, ut arguat negligentes, ut conſoletur obedientes. Cæterum in huius concionis genere, adhuc maior concionatoris uis & prudentia requiritur. Quare ut in hac parte ſatis alioqui difficili, iuuem nonnihil nouitios concionatores, ordine duo tradam. Primum enim Methodum inueniendi locos oſtendam. Deinde rationem indicabo, eoſdem copioſe & utiliter tractandi, in qubus duobus capitibus tota hæc facultas mihi conſiſtere uidetur.

DE INVENTIONE LOCORVM COMMVNIVM.

Ne quis, quod primum in buccam uenit, arripiat tanquam locum communem, quemadmodum illi facere conſueuerut, qui ex ſingulis fere uocibus aliquid uenantur, parum ſolliciti, ſiue ad negocium pertineat propoſitum, ſiue non, ut qui hoc ſolum quærunt ut magni architecti, & locorum communium non imperiti fabri uideantur, opus eſt præceptis, intra quorum ſepta animus in-

quirentis contineatur. Et tametsi res maior est, quam ut paucis præceptis absolui poßit: tamen prodest nouitijs communia quædam præcepta tenere, quæ sequi tuto et cum fructu eorum quos docebunt, poßunt.

Primum itaq; omnium lecto & intellecto textu aliquo, quæratur textus occasio, summaria comprehensio & finis seu usus quod quomodo fieri debeat in Dialectico interpretandi genere superius declaratum est. Deinde textus partes seu propositiones quærantur. Tum ex his iuxta sequentes regulas loci eruantur communes, qui ad finem rei propositæ facere uidentur.

Regula Prima.

Si propositionis subiectum fuerit singularis terminus, loco eius ponito gradatim superiora hoc est speciem primo loco. Deinde genus proximum, Tum si uidebitur adhuc superius genus, & componantur hæc ordine cum propositionis prædicato. Psalm. 122. In principio hæc est propositio. Lætor, inquit Dauid, cum mihi dicitur, in domum Domini eamus. Primum facito Enallagen personæ in hunc modum. Dauid lætatur cum dicitur ei in domum Domini eamus. Hic iuxta regulam, primum regis uocabulum. Deinde magistratus. Tum hominis ponito. Hoc facto, coniungito hæc ordine cum prædicato, in hunc modum. Regium est lætari quod habeant subditos, qui secum consentiant in

religione. Omnium hominum gaudium esse debet, consentire in cultu Deo præstando. Ecce tot theses hæc prima & puerilis regula subministrauit, quarum ultima communißima est, & in plurimas Hypotheses diffundi potest, de quarum certitudine ex regula sequenti iudicandum est. Approbato exemplo in subiecto, approbatur res in genere. Cum igitur in Dauide approbatur hoc factum, res in genere improbari non debet, & contra. Reprobato exemplo in subiecto, reprobatur res in genere, ut Ozias Rex Iuda inuadens alienum officium displicuit Deo, Ergo reges atq; adeo omnes qui aliena agunt Deo displicent, fuit enim non regum sed sacerdotum officium, offerre incensum Thymiamatis.

Secunda Regula.

Si in locum prædicati substituantur gradatim superiora ut species proximæ, postea genera alia atq; alia, copiosa emerget locorum inuentio. Hæc regula sæpißime quidem in alijs rebus, sed semper in Christi historijs sequenda est. Vt Christus sanat Samaritanum leprosum inuocantem, Sed quia hic Samaritanus est Ethnicus, afflictus homo, collige hinc Christum iuuare Ethnicos afflictos & omnes homines, qui ipsum inuocant. Et quia ex Christi particularibus factis colligitur eiusdem officium in genere, licet in hunc modum locum extruere,

quod Christi seu Meßiæ officium sit iuuare miseros & afflictos se inuocantes.

Tertia Regula.

Si in locum tum subiecti tum prædicati substituas per gradus species & genera, copia, communium propositionum nascetur. Vt David committens adulterium est expulsus regno. Ergo reges grauiter delinquentes punientur, atq; adeo omnes qui flagitiose uiuunt, supplicia aliquando debita luent. Colluuies impiorum hominum Cataclysmo absorpta est. Ergo flagitiosi aliquando pœnas daturi sunt.

Quarta Regula.

Aliquando prodest ex concretis Abstracta facere, ut mulier Cananea credens Matth. 15. in neceßitate Christum accedit, inuocat, non patitur repulsam, sed magis instat, quemadmodum et Archisynagogus, qui credens secum totam domum conuertit ad Dominum. Hinc collige fidei proprietates, nimirum quod fides in neceßitate constitutum hominem impellit ad Christum, ut eum inuocet, instare facit, ut impetret augmentum dum tentatur sumit, ac tandem gratißimos fructus edit. Hæc regula ex loco coniugatorum uim habet. Sed quoniam quæ de fide recitaui præcipua sunt fidei momenta, ea in duos uersiculos inclusi, hoc pacto. Vera fides Christum petit & rogat instat, ab ipso impetrat, & crescit fructificatq; simul.

Aliud exemplum. Beatus uir qui timet Dominum. *Locus communis:* Vera beatitudo consistit in timore Domini. Huius regulæ usus est magnus non solum in locorum inuentione, uerumetiam in definiendis concretis. Nam quemadmodum Aristoteles & Rodolphus docent ex descriptione concretorum colliguntur abstractorum definitiones. Vt si quid pietas sit uelis definire, sume concretum prius in [illegible] exemplo. Vt Abraham pius timet Deum, ueraq; fide & obedientia illum colit. Ergo pietas est timor Dei, fides & obedientia erga ipsum. Hac uia Aristoteles multarum uirtutum differentias inuestigauit, quam sibi non inutilem fore facilè animaduertent Studiosi Theologiæ.

Quinta Regula.

Diligenter quæ rem propositam antecedunt, quæ cum eadem coniuncta sunt, & quæ eam necessariò consequuntur spectanda erunt, atq; in locos communes includenda, ut Psal. 2. Beati omnes qui confidunt in eo. Primum hic ex antecedentibus sequitur, sine Christo neminem beatum esse. Nam si tum demum fiunt beati quando in Christo confidunt, sine hac fiducia miseri sunt omnes mortales. Hic locus etiam à contrario sensu concluditur hoc modo. Omnes confidentes in Christo sunt beati, Ergo omnes non confidentes in eo non sunt beati, Si non beati certè miseri sunt. Vides ut hic locus suppeditat occasionem de miseria humani

generis disserendi. Secundus locus est ex adiunctis, qui secundum quartam regulam extruitur, uidelicet quod uera fœlicitas & beatitudo sita sit in fiducia Christi. Tertius locus, quod uniuersale sit beneficium. Generalis enim propositio ad nullam gentem aut hominem restricta, sed omnibus offertur beneficium, qui confidere in ipso non recusant. Quartus locus, quod fiducia in Christum sit modus, per quem beneficiorum Christi redduntur homines participes. Quintus, ex hoc loco sequitur locus de Christi diuinitate. Nam si fiducia in solo Deo reponenda est, & beatus pronunciatur qui confidit in Christo, sequitur profecto Christum uerum Deum esse.

Sexta Regula.

Causarum & effectuum necessaria consecutio non est negligenda. Nam si causa ponitur effectus concluditur potentia, ut in symbolo dum agnoscimus Deum omnipotentem, fides inde eruit duplicem effectum, Vnum quod Deus poßit benefacere quibus uult. Alterum quod sit illi facultas defendendi quos in suam tutelam assumit. Sed addamus illustrius exemplum. In Cœna Domini ex causarum & effectuum consequutione, colligendæ sunt hypotheses de uera Sacramenti meditatione. Cum itaq; Cœna Domini Sacramentum sit nostræ per mortem Christi redemptionis, primum Cœnæ celebratio, cogitationem de peccato mentibus instil-

lat.

lat. Nam ob peccatum mortuus eſt Dominus. Secundo admonet de uictima peracta, ad redimendum humanum genus à iure peccati: Tertio huius uictimæ dignitas & excellentia cogitationem ſuggerit pijs mentibus, non ſolum de magnitudine iræ Dei, percutientis filium propter peccata noſtra, & inenarrabili miſericordia Dei recipientis nos in gratiam propter uictimam filij, ſed etiam de amore filij intercedentis pro nobis & deriuantis in ſe iram patris. Quarto, contritio quidem ex cogitatione peccati & iræ Dei naſcitur. Fides uero ex inenarrabili miſericordia Dei & amore filij perſoluentis λύτρον pro nobis, excitatur. Quinto, hæc fides confirmatur & augetur uſu Sacramenti tantæ rei. Sexto, fides confirmata & aucta Deo gratam ſe exhibet, uitam piè, honeſtè & iuſtè inſtituit, proximum cum quo habet communem λυτρωτὴν diligit.

Ecce quantam doctrinam, quantam copiam, quam piam meditationem ſacræ Cœnæ, conſequutio cauſarum & effectuum ſuppeditat.

Aliud exemplum. Chriſtus remittit peccata ſua autoritate. Hic effectus monſtrat Chriſti diuinitatem. Latro obiurgat blaſphemantem ſocium & Chriſtum inuocat, ex quibus effectibus, Contritio, fides & noua uita latronis concluditur.

Septima Regula.

Quæratur repugnans dicti, et repugnans con

ſequen-

ſequentis dicti, Vnde duo locorum genera oriuntur. Sit dictum: qui aliud Euangelium docuerit Anathema ſit. Hic repugnans dicti eſt, Qui idem Euangelium docuerit, non eſt Anathema. Conſequens dicti, quod Papa ſit Anathema. Aliud enim Euangelium docet. Huius repugnans deſtruitur, ut Papa non eſt Eccleſiæ caput, & Papæ non eſt obtemperandum.

Octaua Regula.

Prodeſt interdum per contrarium ſenſum locum extruere, uidelicet cum termini ſunt pares, ut iuſtus ex fide uiuit. Ergo non iuſtus ex fide non uiuit, ex quo ſequitur neq; ex operibus eſſe iuſticiam, neq; uitam. Atq; ita Paulus colligit ad Galat. 3. Quoniam autem inquit in lege nemo iuſtificatur, manifeſtum eſt, quia ſcriptum eſt, iuſtus ex fide uiuit, Similiter forma per contrapoſitionem, interdum locos miniſtrat. Vt omnis qui ex Deo eſt, uerba Dei audit. Hic locus per contrapoſitionem colligit eum qui non audit uerbum Dei non eſſe à Deo.

Hæ ſunt Regulæ inuentionis locorum præcipuæ, quarum fontes ſunt loci Dialecticis & regulæ conſequentiarum, & poſſent hi plures addi, ſed has puto ſufficere nouitijs concionatoribus, quas ſi fuerint ſequuti, & ipſi in quærendis locis communibus expedita erit ratio, & ab alijs notatos locos dextrè iudicabunt. Deinde & hinc iudicare poſſunt

ſunt

ſunt cur non ſemper eoſdem locos diuerſi autores commonſtrent. Ratio enim diſcriminis eſt, cum diuerſitas inuentionis, tum quod alij loci alijs autoribus magis arriſerint. Poſtquam autem pius Eccleſiaſtes locos inuenit, examen apud ſe locorum inibit. Huic examini triplex inſtrumentum adhibebit. Primum enim diſpiciet an alicubi in ſcriptura locus inuentus expreſſe ad uerbum habeatur. Deinde demonſtratione ad impoßibile examinetur locus, ſi expreſſus uerbo Domini non eſt. Tertio, Syllogiſmo aliquo concludatur locus, & per conuerſionem ſyllogiſticam, tanquam ad lydium lapidem probetur. Demonſtrationis ad impoſſibile ſit hoc exemplum. Locus probandus. Chriſtiani poſſunt tenere propria. Huius loci aſſume oppoſitum. Nulli Chriſtiani poſſunt tenere proprium. Iam quære propoſitionem apertè ueram, quæ cum oppoſito poteſt altera præmiſſarum eſſe in ſyllogiſmo. Vt omnes qui dabunt eleemoſynas debent habere propria, ex quibus duobus præmiſſis ſequitur concluſio falſißima, uidelicet quod nulli Chriſtiani dabunt eleemoſynas, ex huius aperta falſitate, deſtruenda eſt altera præmiſſarũ. Quare cum maior apertè ſit uera, ſequitur minorem eſſe falſam. Hinc iam infertur ex lege contradictionis, loci propoſiti ueritas. Iam colligamus ꝙ diximus. Omnes qui dabunt eleemoſynas debent habere proprium, Nulli Chriſtiani poſſunt habere

pro-





proprium. Ergo nulli Christiani dabunt eleemosy-*nas*, *sed conclusio est falsa, ergo altera præmis-sarum, non autem maior ergo minor quæ dicit,* Nulli Christiani possunt habere propria.

Conuersionis syllogisticæ sit hoc exemplum. Locus. *Quidam audientes uerbum non sunt pij.* Syllogismus. *Nulli ambulantes secundum carnem sunt pij. Quidam audientes uerbum ambulant se-cundum carnem,* Ergo *quidam audientes uerbum non sunt pij.* Conuerte in hunc modum. *Si quia nulli ambulantes secundum carnem sunt pij,* Et *quidam audientes uerbum, ambulant secundum carnem. Ideo quidam audientes uerbum non sunt pij. Siquidem omnes audientes uerbum sunt pij, siue nulli ambulantes secundum carnem sunt pij,* Nulli *audientes uerbum ambulant secundum car-nem, siue quidam audientes uerbum, ambulant se-cundum carnem,* Certe *quidam ambulantes secun dum carnem erunt pij, sed & nulli ambulantes se-cundum carnem sunt pij, & quidam audientes uerbum ambulant secundum carnem,* Stat itaque *firma conclusio, quosdam audientes uerbum non esse pios.*

DE RATIONE LOCOS INVENTOS COPIOSE ET VTILITER TRACTAN DI.

Ad copiosam et utilem locorum tractationem quatuor potißimum requiruntur, quorū primum est diductio quæstionum, hoc est locorum inuentorum, Alterum copiosa confirmatio, Tertium digreßio, Postremum artificiosa conclusio. De his quatuor eo quo proposita sunt ordine dicam, singula præceptis & exemplis declaraturus.

DE DIDVCTIONE QVÆSTIONVM.

Hic non de inuentione locorum communium, de qua iam dictum est, sed de loci communis inuenti diductione, hoc est, multiplicatione in plures quæstiones seu locos dicendum est. Diducitur autem locus inuentus uel in simplices locos, uel in coniunctos. Vt si quartum præceptum explicandum proponeretur.

Primum hic locum communem quæreres iuxta præscriptum primæ regulæ hoc pacto, Parentes sunt honorandi, parentes superiores sunt, Ergo superiores honorandi sunt, Hic locus cōmunis in tractatione 4. præcepti est principalis & tractandus præcipue, Verum ut copiose tractari poßit profuerit eum diducere in alios locos, simplices quidem quos præbent ipsa uerba, coniunctos uero qui uel ex ijs quæ ipsis uerbis necessario insunt, ueluti species seu Hypotheses in suis generibus & thesibus insunt, & quæcunque cum re necessario

con-

coniuncta ſunt, uel ex ijs quæ ex conditione rei adhærent, petuntur, ut in propoſito exemplo duo inſunt ſimplices loci, Vnus de honore, Alter de ſuperioribus. Hi tractandi ſunt ſeorſim didaſcalica rerum ſimplici, eo modo quem ſupra tradidi.

Deinde ex diuiſione huius theſeos ſuperiores ſunt honorandi, naſcuntur plurimæ Hypotheſes pro diuerſa ſubiecti & prædicati diuiſione. Subiectum enim in has formas diuidi poteſt, quod ſuperiorum alij ſunt priuati, qui uel naturales ſunt ut parentes, uel non naturales ut pædagogi, patroni & patresfamilias. Alij publici, ut ciuilis magiſtratus & Eccleſiaſticus cum ſuis differentijs. Deinde prædicatum honorandi, diuidatur in partes honoris. Qui enim alium honorat reueretur eum, obtemperat, gratuſq; eſt ei, Ita prædicati tres ſunt partes ſeu differentiæ. Hinc iam tanquam ex ſyluula extruamus Hypotheſes, parentes reuereri oportet, parentibus obtemperandum eſt, parentibus gratitudo præſtanda eſt. Præceptores oportet reuereri, præceptoribus obtemperandum eſt, præceptoribus gratitudo exhibenda eſt. Patronos oportet reuereri, patronis obtemperandum eſt, patronis gratum eſſe oportet. Ad eundem modum conſtituantur Hypotheſes ex reliquis quæ poſui, unde emerget maxima quæſtionum neceſſariarum copia. Iam ex ijs quæ ex conditione inſunt, nonnunquam utiliter petuntur loci, ut ſi parentes,

præce-

præceptores, Patroni sunt morosi, difficiles tyranni, an tum sit illis reuerentia, obedientia & gratitudo præstanda, & quatenus. Atq; ita ex alijs conditionibus multiplicantur quæstiones. Verum hoc postremum genus quæstionum, quod ex conditione nascitur per occupationem commode tractabitur. Ecce si has Hypotheses ἀναλυτικῶς retexueris, & διαιρετικῶς tractaueris, & Methodo confirmaueris confirmatoria, et exornaueris, non una concio, sed tot quot sunt Hypotheses institui possunt. Fateor non omnes locos communes præbere tantam Hypothesium syluam, Attamen nullus est tam ieiunus, quin aliquot saltem suppeditet, quas ea ratione, quæ exposita est, extruere oportet ex loco communi, quod ut dextrè facias plurimum iuuabit si prædicabilium, prædicamentorum & propositionum doctrinam quam optimè cognitam habeas.

DE COPIOSA CONFIRMATIONE.

Copiosa confirmatio constat probationum generibus, congerie, Expolitione argumentorum, & confutatione sententiæ cum nostra pugnantis, de quibus ordine dicam.

DE GENERIBVS PROBATIONVM.

Probationum itaq; genus in Theologia est Tri-

plex. Primum & tutißimum est, cum ex pronunciatis scripturæ claris & perspicuis ducitur probatio. Vt parentes honorandi sunt, quia quartum præceptum clarè & perspicuè sonat: Honora patrem tuum & matrem tuam. Item ex fide est iusticia, & non ex operibus, quia uerbum Domini sic pronunciat: Statuimus hominem iustificari fide absq; operibus.

Secundum genus ratiocinatio est, quoties non ex claris dictis pronunciatur, sed colligitur firma & immota consequentia. Atq; hoc genus duplex est. Directum & obliquum. Directum quidem, cum simpliciter prima conclusione quod probandum est colligitur, quòd genus sumitur à locis inuentionis: genere, specie, definitione, causis, destinatis & adiunctis &c. Vt si quæratur an præceptores honorandi sint, ex genere recte conclude: Omnes superiores sunt honorandi, ergo & præceptores. Obliquum uerò non simpliciter concludit quod probandum proponitur, sed ex opposito colligit absurdum, ex quo rursus destruit antecedens, quo destructo sequitur ueritas oppositi. Vt si superiores non sunt honorandi, neque parentes honorandi sunt, sed falsum hoc est, ergo & illud, consequitur igitur superiores honorandos esse. Tertium genus est infimum, quando exemplis nitimur eorum & testimonijs, qui in Ecclesia excelluisse uidentur, quod genus infringitur, si superiori-

rioribus probationibus destituitur. Proponamus & aliud exemplum. Sit quæstio, Vtrum Christus sit Deus, Hoc primum probatur dicto, seu primo genere probationum. Nam 1. Iohan. 5. sic dicitur de Christo, Hic est uerus Deus & uita æterna. Secundo ratiocinatione, Christus fecit diuina opera propria potentia, & Christo tribuitur diuinus cultus, Ergo est Deus. Obliquo ductu. Si Christus esset creatura tantum, Maledictus esset omnis qui in ipsum confideret. Sed iam uerbum Dei pronunciat beatos qui in illum confidunt, Ergo non creatura est, sed uerus Deus. Tertio testimonium Ecclesiæ ut Symbolum Athanasij et omnium piorum consentientia, suffragia Christum Deum esse testantur. Porrò hæc nostra probationum distinctio nec ratione, nec exemplo caret. Ratio quidem hæc est. Quicquid probatur uel improbatur in rebus sacris id necesse est ut fiat uel scripturæ, uel Ecclesiæ testimonio. Si scriptura id fit, erit alias expresso uerbo, unde primum genus nascitur, alias inclusiue siue implicite, idq; uel in thesi uel in Hypothesi, unde secundum genus probationum sumitur. At si Ecclesiæ testimonio probatur aliquid tertium erit probandi genus. Exemplum uero Pauli habemus, quem hoc triplici probationum genere, in suis scriptis usum fuisse manifestum est. Quod ex fide sit iusticia dicto probat cum inquit: Iustus ex fide uiuit. Ratiocinatione; Si ex operi-

bus est iusticia, Christus frustra mortuus est. Hinc nunc sequitur quod proposuit ex fide esse iusticiam. Exemplo. Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad iusticiam. Item, Nos in Christum credimus, ut iustificaremur ex fide. Hæc genera si late diffunduntur, maxima futura est probationum copia, sed adhibendus est tamen modus, ne copia sit intempestiua atq; ideo fastidium pareat.

DE CONGERIE.

Congeries hoc loco est, quando propositioni seu loco communi probando subijciuntur præcipuorum argumentorum capita, & quasi in unum fasciculum congeruntur. Vt si hæc propositio tractanda esset: Legi diuinæ nemo suis uiribus satisfacere potest, possent sequentia argumentorum capita, per congeriem in hunc modum subiungi, hoc enim experientia omnium hominum conuincit. Hoc saucia natura congemiscens agnoscit. Hoc uniuersa scriptura clamitat. Hoc deniq; uictima filij Dei horrendis modis lacerati in patibulo crucis comprobat. Hoc modo Cicero propositioni subiungit argumentorum congeriem, quem in disponendis argumentis doctißimi quiq; imitari solent. Cæterum tametsi Cicero interdum ab ultimo capite, expolitionem argumentorum in congerie positorum incipit, cui primum subiungit & postea pergit usq; ad penultimum, quod fit tracta-

tione ultimum, tamen Theologo & concionatori tutius est ordinem in congerie positum in expolitione sequi.

DE EXPOLITIONE.

Expolitio est per quam argumentum propositum confirmatur & exornatur. Constat autem copiosissima expolitio, propositione, ratione, ætiologia, exornatione & conclusione. Propositio est quæ argumenti caput aliquod proponit, tanquam confirmationis propositionem. Ratio probat propositionem, & hæc talis esse debet ut sit minor syllogismi. Ætiologia, rationis causam addit, & talem esse conuenit, ut uel maior syllogismi, uel eius probatio sit, Atq; ita ex propositione, ratione & Ætiologia fit syllogismus integer, sed ordine inuerso. Post Ætiologiam sequetur exornatio, quæ sumenda ex à sententijs, comparatis contrarijs, similibus exemplis. Postrema erit conclusio, quæ superiorum summam colligit, & propositionem principalem concludit. Hæc expolitionis præcepta sunt, nec pugnant quæ dixi cum illorum sententia, qui septem expolitionis partes numerarunt. Non enim est unum expolitionis genus, sed ego id tantum delegi quod aptissimum nouitijs concionatoribus fore arbitrabar.

Cæterum ut præcepta expolitionis intelligantur, unum exemplum subijciam. Proposui supra locum communem. Legi diuinæ nemo suis uiribus sa-

tisfacere poteſt. Deinde huic loco quatuor probationum capita per congeriem ſubieci, quorum primum fuit quod experientia omnium hominum id uerum eſſe conuincat. Hoc caput ſit expolitionis propoſitio in hunc modum. Experientia omnium hominum conuincit, neminem legi Dei ſatisfacere. (Ratio) Omnes enim homines in ſeipſis facilè ſentiunt, quam procul abſint à Legis Dei perfecta & perpetua obedientia. Ætiologia. Vident enim legem Dei ſanctam & perfecte uiuendi regulam, & ſeipſos plane prophanos natura, & imbecilles. Exornatio à ſententia. Vſq; adeo uerum eſt quod Propheta clamitat, omnes iuſticias noſtras eſſe ueluti pannum menſtruatæ mulieris, quæ ſententia quomodo conſtaret, ſi experientia ullius hominis ſani diuerſum eſſet experta. Exornatio à comparatis. Quemadmodum. n. arbor cuius radix eſt putrida & uenenato ſucco infecta, nunquam fructus niſi uenenatos producit, Ita homo cuius cor peccati ueneno infectum exiſtit, nequaquam poteſt puram & integram obedientiam præſtare legi Dei. Exornatio ab exemplis. An non hoc fatetur ſanctus Abel in ſuo ſacrificio? Profecto ſic eſt. Nunquam enim Deus probaſſet Abelis ſacrificium, niſi Chriſtum promiſſum Sanctus ille uir agnouiſſet eum qui credentes iuſtificaret, & ſuum peccatum intellexiſſet, quo ſe impediri nouit, ut non potuerit legi Dei ſatisfacere. Nam ſi pu-

ſi putauiſſet ſe legi Dei ſatisfacere poſſe, nunquam recte ſacrificaſſet, hoc eſt ſacrificio declaraſſet promiſſum ſemen eſſe legis completorem. Huc & Dauid locupletiſsimus teſtis adijciatur, qui ad Dominum clamans apertè fatetur non iuſtificari in conſpectu Dei ullum mortalium. Omnes enim declinaſſe et inutiles factos conqueritur etc. Concluſio. Cum igitur Dauidem teſtem habeamus, cum peccati uirus agnoſcamus, cum legis puritatem, et immundiciem noſtram contemplemur, quis quæſo niſi amens negabit ſe experiri ſuam in præſtanda obedientia legi Dei imbecillitatem & (ut ita dicam) ὀυτιδανίαν. In hoc exemplo utcunq; uidere eſt expolitionis uſum, quod ſi fuſius tractare inſtituiſſem, ſingulis partibus dilatatis & multiplicatis integra oratio uel ex hoc primo probationis capite fluxiſſet. Ad eundem modum reliqua tria capita in congerie poſita eſſent expedienda. Hinc non difficile iudicare poſſunt Studioſi Adoleſcentes, huius expolitionis eſſe ſummam utilitatem. Quare operæprecium facturi ſunt, ſi multum ſe in expolitionis tractatione exerceant. Hinc enim eam facultatem conſequentur, ut poſtea in ſerijs negocijs & ſacris concionibus hæc expolitionis præcepta, uel non cogitata dicentibus occurrant.

DE CONFVTATIONE.

Confutationis Methodus quæ conſtat propoſi-

tione, ſublatione, oppoſita propoſitione & ſolu-
tione, ſupra eſt declarata & exemplis illuſtrata.
Quare hic tantum admonebo auditores de loco
confutationis.

Locus itaq; proprius confutationi aßignatur mox poſt confirmationem, quem tamen locum perpetuo nō habet. Nam quoties alia ſententia quam noſtra, auditorum animos occupauit Exordium ſumi poteſt à confutatione, quam legem non ſolum Ariſtoteles & Cicero, uerumetiam Paulus ſequutus eſt in Epiſtola ad Romanos. Confirmaturus enim hanc propoſitionē, Quod iuſticia ſit ex fide, primum confutat Gentium & Iudæorum præiudicia. Gentium quidem quæ lege naturæ ſe iuſtos putabant. Iudæorum uero qui ex lege diuinitus ſibi tradita ſe iuſtos gloriabantur. Ex hac confutatione præiudiciorum dilabitur Paulus in propoſitionem, quam repetit primum, & poſtea iuſtam confirmationem ei ſubiungit. Hoc Pauli exemplum ſequendum iudico, quoties alia quam noſtra ſententia occupantur auditorum animi.

DE DIGRESSIONE.

Digreßionis præcepta ad quinq; momenta reuocari poſſunt, & ſunt locus, modus, materia, tempus & reditus à digreßione. De loco hoc obſeruandum eſt, quod digreßio probatæ alicui propoſitioni ſubijci debeat. Importuna enim digreßio eſt, quæ fit re nondum confirmata. Modus talis adhi-

bendus est ne discentium memoriam interturbet molesta prolixitate. Infœliciter enim docent, qui neglecta doctrina, leuißima aliqua affecti iniuria, integras horas declamitant in unum atq; alterum quem offendisse iudicant. Materia digreßionis ad exhortationes, consolationes & obiurgationes sed non quasuis pertinet. Talis enim debet esse digreßionis materia, ut sponte uideatur fluere ex doctrina, non accersita aliunde. Nisi enim doctrinæ uis & natura, digreßionis materiam offerat, fieri non potest ut ad ædificationem faciat. Hoc præceptum ideo diligentius obseruandum est, quia non raro ab imexercitatis contra illud peccatur, non sine uerbi Dei iniuria, & auditorum damno. Quarto loco tempus posui, quod requirit necessariò digreßionem. Quando enim auditores uel à doctrina abhorrent uel pigriores uidentur, uel pusillanimes existunt, tum obiurgandi excitandi & consolandi sunt Reditus à digreßione sit non uiolentus, sed uel finis eius ita aptetur, ut coëat cum ea parte orationis, unde digressum est, quod fieri uix potest, nisi uis doctrinæ digreßionis materiam præbuat, uel aliquo schemate adhibito recurrat ad doctrinam. Cum primum Beatus Lutherus cœpit uindicare doctrinam Euangelij contra Papalem tyrannidem opus erat acrioribus stimulis, quare crebrior fuit in digreßionibus, quemadmodum in ipsius scriptis uidere est, Nunc ue-

ro cum doctrina firmata est, et redditus est Ecclesijs nostris tranquillior status, parcius istis acrioribus stimulis utendum est.

Deinde quia neq; uocatio similis, neq; autoritas omnium par est, cogitabunt nouitij concionatores suæ modestiæ esse rarius extra metas euagari. Cæterum si quis horum præceptorum de digreßione exempla requirat, legat Epistolam ad Hebræos. Hæc enim una ingentem exemplorum syluam suppeditabit.

DE ARTIFICIOSA CONCLVSIONE.

Dixi supra qualis conclusio adhiberi debeat in singulorum argumentorum expolitione. Hic dicendum est de loci alicuius seu concionis integræ epilogo, in quo hæc sunt obseruanda. Primum una propositione repetendus est locus explicatus. Secundo instituenda est breuis enumeratio argumentorum, & maxime præcipuorum capitum. Tertio sequatur illatio, in qua tria coniungi possunt, quæ tribus propositionibus absoluenda sunt. Quid doceat præsens locus, quid confutet, quid moneat. Quarto omnia ita ordinanda sunt ut facilior sit transitus in locum sequentem, si plures explicandi restant. Vt explicato loco quem supra proposui: Quod nemo suis uiribus, legi Dei satisfacere poßit, non incommoda foret hæc conclusio

(Loci repetitio) Quis modo posthac se suis uiribus legi Dei satisfacturum arbitrabitur? (Argumentorum enumeratio) cum non solum experientia reclamat, natura negat, scriptura paßim apertis testimonijs confutat uerumetiam uictima filij longe aliud docet (Illatio) Quare hic locus docet nos omnes nostram imbecillitatem & peccatum, confutat iusticiarios, qui legis iusticiam iactant, monet nos omnes ut agnitis peccatis & imbecillitate nostra confugiamus ad Christum (Transitus) quem nobis offert Euangelium, de quo iam nobis dicendum est.

DE PARAENETICO CONCIONVM GENERE.

Explicato utcunq; primo concionum genere, quod quia in docendo uersatur Didascalicum nominaui. Nunc sequitur alterum genus paraeneticum, quo ideo breuius tractabo, quia rarius solum & per se habetur. Didascalico enim ut plurimum admisceri solet. Est autem paraeneticũ genus, quod uel suademus, dissuademusue, uel consolamur, uel obiurgamus auditorem. Hinc triplex concio paraenetica exoritur, nimirum suasoria, consolatoria & obiurgatoria, de quibus ordine haec exponenda sunt. Primum definitio, deinde inuentio, tum tractatio, quibus breuißima subiungam exẽpla, quò praecepta facilius intelligantur.

DE

DE SVASORIA CONCIONE.

Suaſoria concio eſt,per quam ſuademus ad aliquid uel faciendum,uel ferendum,uel etiam omittendum.

Loci inuentionis in hoc genere præcipui ſunt hi. Neceßitas cauſæ, mandati, uocationis, utilitas priuata & publica, dignitas perſonæ & rei. Exempla,antiqua,recentia,Chriſtiana,Ethnica.Item parabolæ & γνῶμαι.Horum omnium probationes comprobationes & exornationes aſpergantur, & quemadmodum ſuprà admonui in Dialectica Methodo,admiſcendas eſſe digreßionis ſchemate Exhortationes, Conſolationes & obiurgationes, ita hic confirmatoria Methodo loci paræ netici confirmari debent.

Porrò in tractatione quatuor concurrunt, occaſio,propoſitio,confirmatio & concluſio. Occaſio cauſas recitat parænеſeos, Propoſitio exaggeranda eſt & multiplicanda, ac ſubinde alijs atq; alijs uerbis & ſchematibus iteranda. Confirmatio petetur ex locis iam commemoratis, in qua confirmatione duo præterea ſpectanda ſunt, gradus & ſchema. Gradus facit ut gradatim à leuioribus & minoribus ad grauiora & maiora,deinde grauißima & maxima aſcendas, alioqui uileſcet parænеſis. Schema, non ſolum affectibus ſeruit,uerumetiam orationem acutiorem (ut ita dicam)

cam) reddit, ut penitus in auditorum animos pe=netret, atq; adeo ipsum cor totum poßideat. Huc Interrogatio, Subiectio, Exclamatio, Admiratio, Dubitatio, Occupatio, Hypotyposis, Dialogismus, ἀποτρίϊα & huius generis alia, quæ à Rhetoribus nominantur & explicantur, referri debent. Con=clusio, quam quartam tractationis partem feci, nouis præceptis non indiget, sed eodem modo confirmabitur, qui supra monstratus est. Cæterum ut præceptorum usus conspiciatur exemplum u=nicum subiungam.

EXEMPLVM SVASO= RIÆ CONCIONIS.

Occasio) Quia uideo multos tardiores ad uer=bum Dei audiendum (Propsitio) Constitui breui=ter nos excitare ad uerbi cœlestis amorem, quo im=pellamur ad diligentius audiendam & conseruan=dam doctrinam de cœlo nobis allatam (πάθος) quam dolendum est mortales esse usq; adeo suæ sa=lutis immemores, ut stimulis indigeant, quo pro=perent eò, quo toto impetu ferri deberent (Neces=sitas causæ) inde enim tantus torpor mentibus no=stris insidet, quod non ut deberemus attendimus, quæ sit uerbi cœlestis neceßitas.

An quisquam omnium mortalium intelligere poterit uoluntatem Dei, sine ipsius uerbo? Profe=cto si sapientia mundi, quemadmodum uerè dicit

Pau=

Paulus, est stulticia coram Deo, fieri nequit ut Dei uoluntatem sciamus, donec stulticiam carnis fuerimus sequuti. (Neceßitas mandati) Excidisse sane uidetur mentibus nostris mandatum Dei patris, Cuius hæc uerba sonant de cœlo, Hic est Filius meus dilectus hunc audite. Ipse filius sua uerba à suis audiri cupit, Oues meæ uocem meam audiunt. Vnde consequitur eos qui aspernantur uocem Christi, quam sonat per ministros suos non esse oues ipsius. Spiritus sanctus uoce Prophetarum & Apostolorum ad legem & testimonium inuitat.

Quis itaq; tu es qui mandatum æterni patris contemnis? Quis es qui filium pro te passum, inuitantem te ad audiendum suũ uerbum aspernaris? Quis es qui spiritus sanctus imperium detrectas? (neceßitas uocationis) usq; adeo obliti sumus unde & quo uocati sumus, Nonne per uerbum è tenebris Satanæ educti in admirabilem Dei lucem sumus?

Hoc uerbum nos uocauit. Hoc uerbum nos Christianos fecit, sed nos interim adeo augusti nominis obliti, salutis mysterium negligimus. (Vtilitas) Quod si hæc tam augusta uocatio nos non mouet, profecto mouere deberet proprij commodi ratio, qua uel bruta animantia tangi animaduertimus. Sed quis potest ulla ratione humana uel angelica recitare saltem huius utilitatis, uel momen-

ta quædam, præsertim cum Paulus post Esaiam dicat oculum hominis non uidisse, nec aurem audiuisse, nec ascendisse in cor hominis, quæ Deus præparauit ijs qui se diligunt. Nec est quod quisquam se somniet Deum diligere, qui uerba ipsius non audit, non meditatur, non confert inter sese, ut mysterium in illis latens paulatim intelligat. Christus.n. λόγος Dei æternus dicit: Qui diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum. Huic dilectioni patris & filij maiora bona adiuncta sunt, quam ut percipi poßint humano ingenio. Tametsi Paulus summam his uerbis complexus est. Euangelium est potentia Dei in salutem omni credenti. O stupidum hominem. O lapideum cor, quod tantam oblatam salutem spernit, reijcit, proterit. Vt prospiciamus uentri, quid facimus? nonne artes discimus? nonne maria nauigamus? Nullum gelu fugimus, nullum æstum auersamur, nullo tempore turpemus, quo misero uentri prospiciatur.

His rebus interituris mouemur, & interim salutem nostram relinquimus. Tanta est nostra insania, tanta peruersitas et malicia, usq; adeo ueneno illo Satanico infecti sumus miseri, quod libentius uelimus in sceleribus nostris mori, quã porrectam manum Dei apprehendere & saluari.

Verum ubi nihil aliud habemus agendum, tum uerbum Domini minori sane reuerentia, quam olim

olim Esopum suas fabulas recitantem audiuerunt triobulares serui, nos audimus. Vtinam hæc nostra oscitantia non esset euidens signum pœnæ nostræ ingratitudinis (Dignitas personæ & rei) Quis putasset unquam homines fore tam obliuiosos, ut stipulationis in baptismo peractæ obliuiscerentur? Ibi enim inaugurantur Christi corpori, & eius membra redduntur, ut cum illo consortes sint cœlestium bonorum, nec alia re quam fide (quæ ex auditu uerbi est) in corpore Christi permanere possumus.

Hic merito dubitauerit aliquis insaniæ ne an stupiditati nostræ ascribatur, quod tantam dignitatem, quam habemus in corpore Christi, quod tantum cœlestium bonorum thesaurum, quem poßidemus per Christum, reijcimus terq; quaterq; ingratißimi (Exempla) Mirum est non reddi nos cautiores aliorum incommodo. Stupendum est non uenire nobis in mentem quod totus mundus semel κατακλυσμῷ perierit propter uerbi Dei contemptum. Non mouemur exemplis Sanctorum Patriarcharum, Abelis, Seth, Enoch, Noe, Abrahæ, atq; adeo plurimorum, qui nunc Dei iucundißimo aspectu fruuntur in cœlis. Lætor inquit Dauid cum mihi dicitur in domum Domini eamus, Sed nos contra lætamur cum mundus nos ad uoluptates inuitat, quibus tamen inescamur, ut tandem in hamo hæreamus capti.

Beatus inquit idem Dauid, qui legem Dei meditatur die ac nocte. Sed nos (proh dolor) non secus à meditatione uerbi cœlestis abhorremus, ac si omnia ista quæ in uerbo proponuntur essent terriculamenta quædam puerorum.

Tomuri sacerdotes Dodonæi nunquam è templis discesserunt, qui tamen superstitionem Diabolicam, pro uerbo dei amplexi fuerant, nos nunquã aut raro templa intramus, qui tamen uerbo et teximonio multiplici, de nostra religione edocti sumus, sed utinam edocti, utinam uere sentiremus corde quod ore profitemur & titulo, quod si faceremus, nequaquam ministerium uerbi tam peruicaciter contemneremus. Quid quæso respondebis filio Dei, cum in extrema die sua uulnera tibi ostendet? Cum sanguinis sui crudeliter conculcati pedibus te accusabit? Tunc uere tibi accidet, quod Dominus prædixit fore, ut præ pudore & iusto Dei iudicio cum impia damnandorum turba, dicas montibus, Cadite super nos, idq; ne intuearis in faciem filij Dei, quem hic contempsisti, cuius uerbum hic abiecisti, cuius sanguinem immaniter pedibus conculcasti, quem expandentem sanguine madentia brachia & cupientem te è medio mortis & è faucib. inferni eripere, spreuisti miser, uere miser, ut quem iustus iudex nisi pœnitentiam egeris, æternis tenebris & carceribus traditurus est (Conclusio) Rogemus igitur Deum ut nos conuertat, ut

conuerti poßimus, ut nos suo spiritu excitet ad audiendum salutis uerbum, per quod uoluntatem Dei, & uerum cultum discere possumus, per quod tantæ utilitates ad nos adueniunt, per quod tot Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Sancti, Martyres atq; alij pij plurimi salutem consequuti sunt, per quod recta uia in cœlum nobis monstratur per Iesum Christum Dominum nostrum, cui cum Deo patre & Spiritu sancto sit laus, honor & gloria in secula seculorum Amen.

Hoc exemplum tractationis utcunq; monstrat usum locorum inuentionis, pauca Schemata interposui, frequentius propositionem attigi, nec ignoro longe infra rei dignitatem subsidere hanc meam exempli tractationem. Quare studiosos hortor, ut dum licet se multum exerceant declamitando & scribendo, ut postea instructiores ad ministerij sacratißimi functionem accedant, quam Battologijs & garrulitate indocta conspurcare flagitiosißimum est.

DE CONSOLATORIA CONCIONE.

Consolatoria Concio est, in qua concionator afflictum hominem & luctantem sub cruce erigit, ne impatientia uictus, succumbat dolori.

Loci Consolatorij sunt hi præcipui & communes. Primus uoluntas patris cœlestis. Secundus con

ditio. Tertius promißio liberationis. Quartus Conformitatis Christi & membrorum eius necessitas. Quintus utilitas eaq; multiplex. Cruce enim præsumptio propriæ uirtutis euertitur, Hypocrisis detegitur, confidentia carnis excutitur, patientia exploratur, obedientia confirmatur, contemptus mundi nascitur, humilitas instillatur, præteritus error corrigitur, futurum malum præcauetur, fides exercetur, spes in unum Deum reponi docetur. Plura de hac re lege in Locis Philippi. Tractatio constat occasione, propositione, confirmatione & conclusione, nō secus atq; in suo suasorio genere, cui affine est. Porrò quoniam utile est certam rationem tenere, accommodandi consolationes, paucis subijciam Methodum consolandi.

METHODVS CONSOLATIONIS ADHIBENDÆ.

Cæterum ne intempestiue & imperite adhibeatur consolatio, distinguamus primum inter priuatam & publicam Consolationem, deinde utriusq; iustam formam præscribamus. Priuatam uoco consolationem, quæ uni fit presso aliquo dolore seu cruce. Communem appello, quæ tempore uel persequutionis, uel plagæ alicuius diuinitus immissæ, toti fit cœtui. Sed de priuata prius dicetur in qua tria inuniuersum obseruanda mihi uidentur, Primum, quis sit ille qui consolatione erigen-

dus est. Secundum, quid sit quod dolet. Tertium, præsenti dolori apta medicinæ accommodatio.

Qui dolet aut pius est, aut impius. Si pius, statim indicata communi filiorum Dei sorte, consolationibus erigendus confortandus & fouendus est, idq; per locos supra commemoratos, et ualde utiliter 8. caput ad Rom. adduci potest. Sin impius, maiorem curam, ut in grauiori morbo adhibere necesse est. Talis enim non statim erigendus est, sed magis adhuc deijciendus est fulmine Legis Dei, & minis proterendus, donec suam agnouerit sine hypocrisi impietatem, donec iram Dei in se concitatam intellexerit, donec clamauerit cum Manasse, se multis modis reum esse. Nam qui impio homini siue ægrotanti, siue alioqui aliqua calamitate presso, mox consolationem accommodat, periculosum, intempestiuum & lethale pharmacum adhibet, perinde enim facit ac medicus, qui foris uulnus sanat, relicta intus sanie, unde postea maius malum & mortiferum erumpit. Quare ut peritus medicus μότῳ inserto prius elicit saniem, qua extracta, malagmate obducit uulnus, ita pius concionator, impij hominis hulcus legis comminatione tanget prius, ut agnitus morbus sanari poßit facilius. Vere enim dicitur ad sanitatem primum gradum esse nouisse morbum.

Secundum quod in consolationibus obseruandum admonui, est res quæ dolorem adfert, seu id quod

quod dolet, quod necessario examinandum iudico, propter medicamenti rectam accommodationem. Aliter enim erigendus est, qui sua culpa sibi malum accersiuit, aliter cui aliena culpa malum illatum est. Nam si quis sua sibi culpa crucem accersiuit, uti infamiam, paupertatem, morbum, mortem &c. non mox medicina seu consolatio adhibenda est, nisi uideas reum serio peccatorum sensu tangi. Tum enim iste peccatorum sensus confirmandus est uerbo Dei, & augendus si opus uidetur. Deinde ad consolationes descendendum est. At si uel Hypocrita existit, uel alioqui impius, tantisper maledictio legis & ira Dei proponenda sunt, donec & peccati sui atrocitatem agnouerit, & illud sibi ex animo dolore confessus fuerit. Quid si eò lege Dei ac minis adigi nequit, non est margarita proijcienda ante porcos. Contra autem si perductus fuerit reus in sui cognitionem, & uero doloris sensu ob peccatum admissum tangatur, tum demum arte medicina adhibenda est, & exponenda sunt ordine hæc tria, lapsus primum, Deinde pœna, tum finis utriusq;.

Lapsum ex eo primum prouenisse docendus est, quod timorem Dei abiecerit, idq; confirmari potest commode & copiose ex primo ad Rom: capite. Deinde quod iam in ipsum facilius tanquam in inermem, insidiæ diaboli, uitium carnis & improbitas mundi præualere potuerint. His causis

lapsus indicatis & confirmatis. Secundo loco pœnam ostendere oportet, nequaquam parem esse delicto commisso, sed esse testimonium duarum diuersißimarum rerum, nimirum iræ Dei & eiusdem paterni fauoris & clementiæ. Iræ quidem si non egerit reus pœnitentiam, & non siuerit se emendari uirga Dei. Paterni uero fauoris & clementiæ, si correptus emendetur plaga, & ad pœnitentiæ portum confugerit. Post hæc tertio loco finis cum lapsus, tum pœnæ exponendus est. Lapsus quidem ut posthac sit cautior. Pœnæ uero quod singulari consilio Dei (cum interim multis impijs & facinorosis parcitur) sit castigatus, non ut pereat, sed ut habeat paratum testimonium paterni fauoris erga se. Verum quia hoc difficilius persuadetur laboranti sub cruce, testimonia & exempla ex uerbo Dei clara et perspicua producenda sunt. Testimonia quidem qualia sunt hæc: Paulus 1. Cor. 11. dicit, rebus aduersis nos à Domino corripi, ne cum hoc mundo damnemur. Vide finem crucis esse ne damnemur, si scilicet admoniti cruce egerimus pœnitentiam. Deinde Prouerb. 16. Fili mi, inquit Salomon, ne respuas correptionem Domini, neq; afficiaris tædio cum ab eo argueris, quem enim diligit Deus corripit, & quem uelut pater filium amplectitur. Autor Epistolæ ad Hebræos cap. 12. dicit nos spurios esse non filios, si extra disciplinam sumus. Huiusmodi loci & simi-

similes aptißimi sunt, quibus animus rei iam pœnitentis erigi potest, ut iam pœnam qualemcunq; sufferre, tanquam præstiturus Deo obedientiam, uelit. Exempla uero sint Manasses, Dauid, Soror Mosis, Rex Vsias, populus in captiuitatem abductus & plurimi alij, qui ob certa peccata puniti sunt, & postea per pœnitentiam sunt reuersi. Insigne præ alijs Latronis exemplum est, qui præclarum patientiæ & fidei exemplum edidit. Hic non ideo putauit se abiectum, quia morte ista infami erat ob scelera sua afficiendus, sed spe in Christum collocata, patienter commeritam pœnam subijt. Post huiusmodi testimonia & exempla (quibus patefacienda sunt iudicia Dei conferendo mores nostrorum hominum, cum pristini populi moribus. Deus enim sibi perpetuo similis est, siue pœnam, siue misericordiam respicias) possunt addi locos communes supra cõmemorati.

Porrò si aliena culpa illatum est quod dolet, ea ratio in consolationis accommodatione sequenda est, quam in publica consolatione ostensurus sum, de qua nunc dicendum est.

Publica igitur consolatio ut recte instituatur, tria sunt obseruanda. Primum, unde calamitas publica. Secundum, quæ causæ. Tertium, consolationis accommodatio, pro calamitatis & causarum diuersitate. Calamitas igitur uel est θεήλατος, id est diuinitus immissa, uel ab hostibus nostræ

Reipub: illata. Si est à Deo calamitas, ut pestis, annonæ caritas, siccitates, tempestates, causæ non sunt extra nos quærendæ sed domi nostræ, sunt enim peccata singulorum communium calamitatum causæ, & sæpe ob unius culpam integra Respublica plectitur, cuius rei testes sunt Acham, Dauid, Oedipus & alij multi, qui sceleribus publicam calamitatem accersiuerunt. Hic non est difficile accõmodare consolationem, si exẽpla sanctorum Prophetarum sequi ualuerimus. Horum enim exempla quid faciendum sit mouent. Hi enim primum consueuerunt publice taxare scelera, eaque triplicia, desertionem Dei, Hypocrisin, iniuriam proximi & horum genera quæ potißimum in populo grassari uidentur, exempla paßim extant in Propheticis scriptis. Deinde publice inuitare solebant totum cœtum ad seriam pœnitentiam, ieiunium & orationem. Vtriusq; rei exempla his annis aliquot insignia, ad mandatum Serenißimi Regis nostri, edita sunt, à ministris nostrarum Ecclesiarum, non sine fructu & mitigatione pœnarum commeritarum. Postremo admonere consueuerunt Prophetæ eos, quos præ alijs sceleribus contaminatos animaduerterunt, nostris ministris uerbi exemplum relinquentes, ut eos priuatim admoneant, corripiant & emendent, quos animaduertunt sua idolatria, suis usuris, adulterijs, tyrannide, fraudibus, auaritia &c. Reipub: toti pœnam accerse-

cerſere, hoc pacto, Tyreſias tametſi Ethnicus ſacerdos Oedipum tyrannum, ob cuius ſcelus Thebana Reſpub. peſte puniebatur, ad duram pœnitentiam reuocauit. Hoc modo Eſaias & Ieremias Reges ſuorum temporum caſtigauerunt, eiſq; imputauerunt communes calamitates. Et ſciri debent miniſtri uerbi hanc non infirmam partem eſſe ſui muneris, quam ſi negligunt uel metu uel ignauia, graues pœnas Deo daturi ſunt, quemadmodum habet comminatio apud Ezechielem & alibi. Sin autem ab hominibus uenit,ſiue priuata ſiue publica calamitas,id fit uel propter iuſticiam,uel non. Si propter iuſticiam conſolatio ſtatim adhibenda eſt à communi ſorte filiorum Dei in hoc mundo, et oſtendendum quanto honore nos dignetur Deus, quod ita nos peculiari ſuæ militiæ nota inſignit,unde Apoſtoli plagis affecti,gaudent quod digni habiti ſint pro nomine Chriſti contumeliam pati.Hæc enim ſpecies crucis fidelium maximæ propria eſt, qua uult Chriſtus in nobis glorificari, quemadmodum Petrus docet prioris Epiſtolæ cap. 4. Porrò ſi non propter iuſticiam nobis ab hominibus calamitas publica inducitur, cauſæ in nobis ipſis quærendæ ſunt, & quemadmodum ſupra explicatũ eſt, ubi dictum eſt de cruce diuinitus illata, conſolatio adhibenda eſt. Ex his puto conſtare qua ratione & uia cum priuatæ tum publicæ conſolationes adhibendæ ſunt.

DE OBIVRGATORIA CONCIONE.

Concio obiurgatoria est, in qua uel cessantem, uel delinquentē, uel etiam cōtumacem auditorem obiurgat Ecclesiastices, Cuius finis debet esse correctio, & emendatio eius qui obiurgatur. In hac spectentur potissimum hi loci: Primus turpitudo rei perpetratæ. Secundus, adiuncta, ut sunt mala cōscientia, periculum reiectionis & metus impendentis iudicij Dei, ac præsentium æternarumq; pœnarum. Tertius, Dignitatis personæ & turpitudinis rei collatio. Quartus, Exempla. Quintus, Connexa personæ, ut Christus caput & Rex noster, Ecclesia quæ est patria spiritualis, corpus nostrum quod dedicatum est Deo, ut sit templum Dei. Huc Respublica domus, familia &c. referantur.

Dum hos locos enumero, non sentio omnes in quauis obiurgatione adhibendos esse, sed nunc hos nunc illos prout prudens concionator uiderit utile fore. Exemplum petatur primæ Corinth. 6. Vbi fornicarios obiurgat Paulus. Porrò tractationis Methodus non dißimilis est tractationi exhortatoriæ. Quare non opus esse iudico exemplum adscribere, præsertim cum loci sint perspicui & notum sit singula confirmatoria Methodo probanda, comprobanda & exornanda esse. Verum hic duo adijcienda duxi. Prius quod animus obiur-

gandi præmolliendus sit ad obiurgationes patienter audiendas, id quod fieri potest commode si minister officium suum erga reum declaret, & publicam neceßitatem sibi impositam ut id faciat ostendat, ne putetur obiurgatio proficisci ex aliquo prauo affectu. Sic Paulus præmolliuit Corinthiorum animos ante acerbiorem obiurgationem. Posterius ut intermiscεantur conditiones pœnitentiæ, ne quis asperiori obiurgatione fractus, animum despondeat, uel mortem sibi conciscat.

Hæc sunt honesti auditores, quæ iudicaui indicanda esse nouis concionatoribus, & spero, nisi me ualde fallit opinio, adolescentes non parum iuuari posse indicatione huius Methodi. Sunt autem præcepta omnia quæ à me recitata sunt ex Dialecticorum & Rhetorum fontibus desumpta, & accommodata ad usum Ecclesiasticum, utilia cum in Sacrorum scriptorum enarratione, tum in sacris concionibus formandis, quibus si se regi patiantur adolescentes, non dubito ijs polliceri faciliorem in studijs Theologicis & concionibus formandis progressum. Cæterum quia non satis est apte inuenisse, & prudenter ordinasse ea quæ dicturi sumus, nisi fœlix adsit memoria, uolo ueluti Coronidem huic Methodo adijcere pauca de memoria, idque non ueterum more (qui imagines & signa comminiscebantur, quæ essent quasi memoriæ, ἐπιστήλια quædam, hanc enim subtilitatem

liben-

libenter illis relinquo) Sed ea tantummodo colligam, quibus se iuuari intelligant Studiosi in ediscendis concionibus.

DE MEMORIA.

Duplicem iuuandæ memoriæ rationem instituamus, quarum prior quidem artificiosior, Posterior uero rudior erit. Artificiosior illa cōstabit duabus rebus, ordine nimirū & numero. His enim constat artes & tradi & percipi. Nam ut ordo quæq; suo loco collocat, initia, progreßiones & metas considerat, ita numerus res rerumq; momenta metitur. Quoniam igitur Methodus quam tradidi rerum ordinem monstrat, ac quasi numerat partes, optima erit ediscendi uia eundem ordinem mentis acie aspicere, fieri enim non potest, ut qui perite ordinem rerum instituit, ac rerum puncta obseruauit, et ueluti numerauit, quin eandem facile mente retineat, ac quasi depositum ab eadem reposcat dicturus. Vnde ridiculum uideri posset, aliam ediscendi rationem præscribere, præsertim hominibus qui in artib. dicendi instituti & exercitati sunt. Verū tametsi hæc ita reuera se habeant, non tamen statim ab omnibus percipiuntur. Quapropter ut distinctius hæc intelligantur, & ad usum concionatorum propius accommodentur totam hanc rationem ediscendi, quam dixi in ordine & numero positam esse, in quatuor membra siue præcepta distribuam. Primum sit, ut rem exa-

cte

cte intelligat, menteq; totius rei summa,
dam comprehensionem teneat concionaturus. Secundum membrum, ut locos, hoc est κεφάλαια (ut Græci uocant) in numerato habeat. Tertium membrum, ut locorum tractandorum sectiones faciat, quas certo numero complecti necesse est. Et si carmine aliquo ad id parato fiat, non erit inutile ut si usus legis explicandus esset. Primum ternam sectionem non incommode faceret, quam complecti poßit hoc uersiculo:

Instruit & damnat sontes, docet atq; renatos.

Et quia prima pars huius sectionis plures habet particulas & causas, posset & eas hoc uersu complecti:

Mandatum, pœnæ, pax publica, dux ad Iesum.

His enim quatuor pædagogicus usus legis absoluitur, Ad eundem modum de alijs duabus partibus institui possunt uersiculi. Veram Legis meditationē Doctor PETRVS PALLADIVS Episcopus noster uigilantißimus, ac de Ecclesijs Danicis, Noruegijs & Islandicis optime meritus, hoc carmine complexus est:

Lex quid eram, quid sum, quid ero, per
quem manifestat.

Quartum membrum sit, ut certis in locis digreßiones in minas, consolationes, & exhortationes collocentur, ne digrediendo memoria impediatur et abstrahatur dicturus à re proposita, quod ple-

[illegible] usu uenire solet ijs, qui hoc præceptum non obseruant. Vbi autem iuxta hæc quatuor præcepta concionaturus orationem ordinauerit, ac ueluti numerauerit, ad ediscendum se accingat iuxta dispositionis ordinem. Ac primo loco mandetur memoriæ summaria comprehensio, ut quæ primo loco recitanda est. Deinde loci seu capita seorsim. Tum locorum tractatio cum suis sectionibus, ac sectionum particulis. Hanc rationem ediscendi optimam esse non dubito, quam haud dubie omnes docti sequuntur.


Porrò posterior ratio, quam dixi rudiorem esse hominibus indoctis, qui artem dicendi non degustarunt utilis est, & hæc siue notis numerorum, siue literis instituatur perinde est, & fieri potest in hunc modum.

Primum ea quæ uult ediscere artium rudis concionator, distinguat primum notis numerorum, aut literis singulis. Deinde repetendo uideat quid apud singulas notas siue literas deposuerit. Postremo ediscat iuxta distinctiones factas, & à singulis notis siue literis tanquam depositum repetat, quod illis antea commiserat.

Non parum profuerit, si primum concionem describat, & deinde iuxta præscriptas regulas distinguat & ediscat, facilis enim mens tenet, quod manus antea notauerat.

Τῷ πόνῳ ἀποκρίνοιτ' ἄρ' ἡ τύχη.

FINIS.




VITEBERGAE

EXCVDEBAT IOHANNES CRATO.

ANNO M. D. LIX.

[illegible]
desumpta sunt ex initio libri; postremo Aristoteles
dicamus quod non videntur nisi ea quae abstrahuntur [illegible]
principio libri de auscultatione physica sunt dicta
: asserit Aristoteles universalia prius nobis esse nota
quam singularia atque adiunxit in disciplinis ab universalibus
nobis notioribus ad singularia [illegible]
[illegible] ut igitur hoc loco [illegible] quae prima fronte [illegible]
[illegible] [illegible] observandum
duplex sit cognitio: una simplex quae in simplici
apprehensione consistit, alia composita qua componimus aliquid
[illegible] vel dissentimus. De priori loquitur Aristoteles [illegible]
[illegible] confusa sunt magis nota nobis [illegible]
universalibus, ideo [illegible] liber [illegible] prius a nobis
[illegible] conceptum generis quam speciei, speciei [illegible]
prius quam individui, ut conceptum corporis prius quam [illegible]
[illegible] animalis prius quam [illegible] [illegible] prius quam
[illegible] vel [illegible]. Ex quo sequitur in omni disciplina prius
[illegible] magis [illegible] quam minus [illegible]
[illegible] prius [illegible] definiendum. [illegible]
posteriorum et alios [illegible] loquitur Aristoteles. De
[illegible] composita qua asserimus universalibus pro
[illegible] notiora [illegible]
[illegible] ut [illegible]
[illegible] differentiam [illegible]
[illegible] quam [illegible]
[illegible] dictum [illegible]
[illegible] in sensu, sed tamen [illegible]
[illegible] [illegible] praedicta
[illegible] nisi in [illegible] solum [illegible]
[illegible] in sensu
[illegible]






4
9
10